PHARMACOPOEA BORUSSICA.

EDITIO QUARTA.

BEROLINI
TYPIS ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM.
1827.

[illegible]

Sept 29, 1863

PRAEFATIO.

Artis peritorum neminem difficultates in scribendis Pharmacopoeis obviae fugiunt. Quae ut omnibus satisfaciant, non sufficit numerum tantum et indolem medicaminum tam simplicium, quam praeparatorum et compositorum, quibus ex legis praescriptione officinae Pharmacopolarum instructae esse debent, indicasse, sed cavendum quoque est, ut scientiae naturalis praesenti conditioni et Medicorum votis respondeant.

Hisce vero votis omnino satisfacere vix licet, cum medicamentorum laudatorum copia modum

excedat, et illorum non pauca, etsi rarius in usum vocantur, omissa tamen desiderium aliorum Medicorum excitent. Nec minus difficile est. modum praeparandorum medicaminum scientiae principiis et artis regulis conformem tradere, ita ut simul compositiones saeculorum experimentis probatae integrae et sine ulla mutatione conserventur.

Cum vero nova medicamina et novae medicaminum praeparandorum rationes quotidie fere innotescant, lege cautum est, ut post aliquot annos nova Pharmacopoeae Borussicae instituatur recensio. Quamobrem, cui **Rex** noster **Potentissimus** summam rei medicae in his terris curam detulit, **Vir Nobilissimus et Generosissimus**, Liber Baro Stein ab Altenstein, aliquot viros artis medicae et scientiae naturalis peritos de nova hacce Pharmacopoeae recensione consilia conferre jussit. Fuerunt ad hoc negotium convocati Medicinae Doctores et Pharmaceutae: Berends,

Formey, collegii hujusce Director nominatus, de Graefe, Hermbstädt, Horn, Hufeland, Link, Schrader, Staberoh. Directoris adversa valetudo et mors praematura impedimento fuerunt, quo minus negotium sat cito expediri potuerit. Tandem opus Hufelandio et ei, qui nomen suum in fine praefationis subscripsit, ut absolveretur, commissum est, quod illi, adscita opera Chemici celeberrimi Mitscherlich et Pharmaceutae insignis Staberoh, perfecerunt.

Superest, ut rationes, quas in nova hac recensione secuti sunt, paucis exponantur.

Ex serie medicamentorum prioris editionis ejecimus, quae vel inferiori efficacitate praedita, vel faciliori depravationi obnoxia sunt; recepimus vero ea quae satis repetitae experientiae testimonio et artis peritorum commendationibus frequentissimis gaudent, tum praecipue, quae asservatione diuturniore non vitiantur.

Diligentissime signa et notas, quibus genuina discernuntur medicamenta, quae simplicia vocant, et, ubi locus erat, modum conservandi, indicavimus. Notas vero eas solas indicavimus, quae in medicamento, quale in officinis prostat, conspiciuntur, omisimus autem eas, quae in aliis partibus non in usum vocatis animadvertuntur, neque, ubi radix tantum officinam intrat, amplam dedimus herbae et florum descriptionem.

Ordinem alphabeticum ita mutavimus, ut, ne idem pharmacum in variis operis titulis repetendum esset, semel tantum nomen et descriptionem ejus daremus, usualibus partibus simul subjunctis. Sic e. g. Citrum Aurantium descripsimus, et ejus Cortices, Flores, Folia, Poma, deinceps indicavimus.

Cum Pharmacopola medicamenta simplicia nonnisi emtione sibi comparare possit, etiam praeparatis, quae bonae notae et in fabricis chemicis genuina, a Pharmaceutis vero non sine periculo et

incommodo parari possunt, inter venalia locum assignavimus, ea tamen lege, ut de eorum conditione Pharmacopolis periculum maneat, et accuratissimae eorum explorationis cura et onus illis imponatur.

Praeparatorum nonnulla jussimus via accuratiore et scientiae legibus magis consentanea parari. Omnia praeparata secundum nostram, nec secundum aliam praescriptionem, parentur necesse est. Hinc eas tantum notas addidimus, quas hoc modo parata ostendunt, nec non vitia, quae tunc fortuito occurrere possunt, eas vero negleximus, quae alia ratione adhibita accidere solent, aut fraude producuntur; his enim nullo modo locus conceditur. Praeparata et composita in secunda sectione indicata, a Pharmacopola ipso in suo laboratorio parata, nec aliunde coemta et petita esse oportet.

Priori parti alteram in hac editione primum adjecimus, medicamenta continentem, quae non semper praesto esse debent. In hac modus prae-

parationis quorundam medicamentorum indicatus est, quae aut rarius a Medicis petuntur, aut, si saepius, tamen celeriter parari nec diutius asservari possunt. Utile nobis visum est, haec medicamenta qualibet in officina eadem methodo aut secundum eandem ordinationem confici, nec opus erit, ut Pharmacopola formulas hasce ex aliis libris conquirat, quae hic ipsi praesto sunt. Nullo modo vero Medicum his formulis adstrictum esse volumus, quippe qui in medicamentis praescribendis ejusmodi legibus teneri nequeat.

Ex omnibus medicamentis ea, quae inter venena referri solent, c a u t e esse servanda monuimus.

Medicamentorum, quae vulgo heroica vocant, addidimus doses. Minime quidem nos fugit, Medicum in dosi praescribenda nulla lege adstringendum esse, sed non raro accidit, ut errore calami majorem dosin indicet, quam indicare voluerit. Quodsi

Medicus dosin in hoc libro expressam in praescribendo transgressus fuerit, Pharmacopolae medicamentum dispensare non licebit, nisi Medicus signum aliquod (!) adjecerit, quo Pharmacopola certior fiat, Medicum majorem dosin consulto praescripsisse.

Pondera medicinalia ubique secundum Edictum Regium de die XVI. Maji MDCCCXVI determinata sunt. Horum rationes in fine praefationis indicavimus.

Nomina praeparatorum chemicorum in Pharmacopoeae editione priori indicata retinuimus, et primo loco posuimus, cum Medici his jamjam adsueti videantur. Sequuntur nomina antiqua, saepe aptissima. Tandem nomina novissima secundum systema Berzelianum addidimus, quia Pharmacopoea Anglica, Parisiensis, Suecica, Austriaca, Bavarica ejusmodi nominibus utuntur. Non multum inter se differunt haecce nomina; igitur, qui illius systematis nomina cognoverit, reliqua facile intel-

liget. Et nomina illa systematica etiam idcirco addidimus, quod definitionem rei continent, et meliori jure fortasse definitiones dicendae sunt, quam nomina.

Haec sunt, quae praemonenda putavimus. Artis medicae vero et pharmaceuticae peritos summopere rogamus, ut observationes, quibus in futura recensione uti possint Editores, nobiscum communicent.

H. F. Link.

PONDERA.

Libra medicinalis aequalis est $\frac{3}{4}$ librae communis Borussicae.

Libra medicinalis	continet	uncias duodecim,
Uncia —	—	drachmas octo,
Drachma —	—	scrupulos tres,
Scrupulus —	—	grana viginti.

Libra medicinalis aequalis est 350,78348 grammis Gallicis.

Libra medicinalis olim usitata seu Norica aequalis est 357,56686 grammis Gallicis.

Libra igitur Norica superat nostram 1,8564 drachmis nostris, aut fere $1\frac{6}{7}$ drachmis nostris, ita ut librae nostrae 53 fere aequales sint libris 52 Noricis.

Libra communis Borussica ita determinata est, ut pondus ipsius aequale sit $\frac{1}{66}$ ponderis pedis cubici Borussici aquae destillatae calore 15 grad. thermometri Reaumuriani hydrargyro repleti, secundum Edictum Regium anni 1816.

Mensuris nunquam, sed semper ponderibus, liquorum quantitas indicanda est.

Pondus specificum liquorum pondere absoluto, uti vocant, determinetur cum pondere aquae destillatae ejusdem voluminis seu in eodem vase includendae comparato, calore 15 grad. ejusdem thermometri Reaumuriani.

PARS PRIMA.

MEDICAMENTA, QUAE IN OFFICINIS SEMPER PRAESTO ESSE DEBENT.

SECTIO PRIMA.

SIMPLICIA.

Abrotanum. Herba. *Eberraute.*

Artemisia Abrotanum Linnaei. Planta frutescens Europae meridionalis et Orientis, nobis hortensis.

Herba amaro-aromatica, foliis inferioribus bipinnatifidis, superioribus pinnatifidis laciniis filiformibus, nervo subtus eminente, tenuissime tomentosis. Colligenda mensibus Iulio et Augusto.

Absinthium. Herba. *Wermuth.*

Artemisia Absinthium Linn. Planta perennis Germaniae.

Herba florens, floribus compositis, subglobosis, nutantibus, foliis inferioribus triplicato-pinnatifidis, superioribus bipinnatifidis, summis indivisis, laciniis lanceolatis antrorsum latioribus, utrinque tomento sericeo praesertim subtus tectis, sapore peramaro, odore aromatico gravi. Servetur a caulibus crassioribus repurgata. Colligenda mensibus Iulio et Augusto.

Acetum. *Essig.*

Paratur in officinis propriis e variis liquoribus vinosis, fermentatione acida.

Liquor acidus, flavescens, odore proprio, acidum aceticum continens nec non alias materias ex aqua et vegetabilibus, in praeparatione adhibitis, oriundas. Sit tantae aciditatis, ut unciae duae sufficiant ad kali carbonici drachmam perfecte neutralisandam. Adulteratio acido sulphurico producta nimia praecipitatione barytae nitricae dignoscitur, tum accuratius, si acetum, evaporatione ad mellis consistentiam redactum, destillationi subjicitur et quod destillavit cum aqua hydrosulphurata miscetur, ubi turbatio acidum sulphurosum indicans acidi sulphurici vestigia prodit. Acrimonia spuria, ope principii acris variorum vegetabilium effecta, post neutralisationem addito kali aut natro, gustu facile detegitur. Metalla admixta, aqua hydrosulphurata, et kali hydrocyanico ferruginoso explorantur.

Acidum muriaticum crudum. *Spiritus salis. Rohe Salzsäure. Salzgeist.*

Praeparatum officinarum chemicarum e natro muriatico addito acido sulphurico aut ferro sulphurico usto.

Liquor acidus, albus aut flavescens, saepe fumans, corrosivus, odore peculiari, praeter aci-

dum muriaticum plerumque acidum sulphuricum, interdum chlorum', acidum sulphurosum et ferrum continens.

Pondus specificum = 1,130 — 1,200.

Acidum nitricum crudum. *Spiritus nitri. Aqua fortis. Rohe Salpetersäure. Scheidewasser.*

Praeparatum officinarum chemicarum e kali nitrico addito acido sulphurico aut ferro sulphurico usto.

Liquor acidus, albus aut flavescens, corrosivus, odore peculiari, praeter acidum nitricum plerumque acidum nitrosum et muriaticum, rarius sulphuricum continens.

Pondus specificum = 1,200 — 1,300.

Acidum pyro-lignosum crudum.. *Rohe Holzsäure.*

Ex lignis variis praesertim durioribus in officinis chemicis paratur destillatione sicca.

Liquor acidus, fuscescens, odore empyreumatico. Aciditatem aceti crudi saltem habeat.

Acidum succinicum crudum. *Sal succini. Rohe Bernsteinsäure. Bernsteinsalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum e succino destillatione sicca.

Crystalli subcohaerentes flavescentes, sapore acido bituminoso, odore olei succini, igne cum nidore tussim excitante plane avolantes, in aquae viginti quinque partibus, relicto oleo, solubiles, humorem ex aëre non attrahentes, acidum succinicum et oleum succini continentes. Cave ab impuro, variis rebus heterogeneis adulterato.

Acidum sulphuricum crudum. *Oleum vitrioli. Rohe Schwefelsäure. Vitriolöl.*

Praeparatum officinarum chemicarum combustione sulphuris cum kali nitrico, nec non destillatione sicca ferri sulphurici.

Liquor acidus, maxime corrosivus, albus aut fuscescens, e ferro sulphurico paratus, fumans, cum aqua incalescens, ex acido sulphurico et aqua constans, subinde plumbum aut ferrum sulphuricum aliaque heterogenea continens. Sit ponderis specifici = 1,840 — 1,850.

Acidum sulphuricum rectificatum venale.

Praeparatum officinarum chemicarum destillatione acidi sulphurici crudi.

Liquor acidus, maxime corrosivus, albus, cum aqua incalescens. Sit a plumbo sulphurico aliisque heterogeneis plane liberatus. Hinc aqua destillata dilutus et liquore ammonii caustici neutralisatus non turbetur, nec haecce mixtio, addito liquore ammonii

hydrosulphurati colorem in fuscum aut nigrescentem mutet. Affuso pari pondere alcoholis itidem non turbetur.

Pondus specificum = 1,840 — 1,850.

Acidum tartaricum. *Sal essentiale tartari. Weinsteinsäure.*

Praeparatum officinarum chemicarum e tartaro depurato.

Crystalli crustam formantes, albae, sapore peracido, in aquae partibus duabus solubiles. Sit liberum ab acido sulphurico, quo humidum redditur et adfuso liquore plumbi acetici praecipitatum demittit in acido nitrico non solubile, nec non a calcariae tartaricae nimia copia, quae praecipitatur, si ammonio carbonico supersaturatum fuerit.

Aconitum. Herba. *Eisenhütlein.*

Aconitum Neomontanum Willden. (Stoerkeanum Reichenbach). Planta perennis in locis montosis Germaniae hinc inde occurrens.

Folia intense viridia, glabra, palmata, quinquepartita, lobis lateralibus ad basin fere partitis, laciniis divaricatis cuneiformibus incisis, ultimis 2–3 lin. latis; pedunculi bracteis longiores glabri, corollae coeruleae galea 6–8 lin. alta, parum superne incurva, rostro non prominente nec recurvato. Principio narcotico acri praedita sunt. Sumantur

e planta sponte nascente, nec in hortis culta, mensibus Maio et Iunio. Ultra annum non serventur. Ne commutetur planta cum speciebus affinibus, herba cum floribus colligenda est.

Dosis ad Grana duo.

Adeps suillus. *Schweineschmalz.*

Sus Scrofa Linn.

Non nisi bene elotus adhibeatur.

Aerugo. *Viride aeris. Grünspan.*

Praeparatum officinarum chemicarum e cupro vinaceis fermentantibus aut vaporibus aceti corroso.

Massa compacta difficulter rumpenda, fractura terreo-lamellosa, crystallis minutis mixta, friabilis, e viridi coerulescens, in aqua partim solubilis, e cupro acetico et hydrate cupri oxydati mixta. Corporibus heterogeneis in acido sulphurico non solvendis non nimis mixta sit.

Allium Cepa. Bulbi. *Zwiebeln.*

Allium sativum. Bulbi. *Knoblauch.*

Aloë lucida. *Glänzende Aloe.*

Succus aëre induratus e foliis resectis Aloës spicatae Thunberg. fruticis Africae australis.

Frusta e croceo fusca, subdiaphana, splendentia, friabilia, saporis peramari nauseosi, odoris nauseosi, in spiritu vini ex toto, in aqua quoad maximam partem, solubilia.

Althaea. Herba. *Eibischkraut. Altheekraut.*

Althaea officinalis Linn. Planta perennis Germaniae.

Folia subcordata, subquinqueloba et subtriloba, inaequaliter et acute crenata, tomento cinereo mollissimo tecta, multa mucilagine repleta. Colligenda mense Iunio et Iulio ante florescentiam.

Althaea. Radix. *Eibischwurzel. Altheewurzel.*

Radix versus caulem ramosa, ramis longis subsimplicibus, digiti minoris crassitie, extus e fuscescenti grisea, intus alba, odoris debilis, saporis subdulcis. Epidermide deglupta plerumque prostat. Colligenda auctumno.

Alumen. *Sulphas aluminico-kalicus cum aqua, aut aluminico-ammonicus cum aqua. Alaun.*

Praeparatum e mineris aluminis, in officinis propriis.

Sal in frustulis crystallinis albis subdiaphanis, sapore e subdulci austero, in aquae sedecim -- viginti partibus solubilis. Constat ex alumina sulphurica,

kali aut ammonio sulphurico et magna copia aquae. Ferro non nimis sit inquinatus, et a cupro omnino liber, quod coeruleo colore, addito liquore ammonii caustici, sese prodit.

Ambra grisea. *Grauer Amber.*

Excrementa morbosa Physeteris macrocephali Linn. aliorumque Cetaceorum ad littora Indiae orientalis, Africae et Americae meridionalis, reperiunda.

Frusta variae magnitudinis, cerae duritie, ex nigro cinerea, maculis et striis albis variegata, opaca, levia, odoris pergrati, leni calore instar cerae liquescentia, flammae exposita deflagrantia, in aethere fere tota, in spiritu vini ex parte solubilia. Serventur in vasis bene clausis.

Ammoniacum vulgo Gummi Ammoniacum. *Gummi Ammoniak.*

Succus aëre induratus plantae ignotae Africae orientalis.

Gummi-resina, in glebis granisve, extus e fusco flavis, intus albis, plerumque inter se conglutinatis, opaca, splendore pingui, frigore duriuscula fragilis, calore tenax, digitis agitata mollescens, odoris gravis et saporis amaro-nauseosi subacris. In aqua partim solvitur solutione lactescente, in alcohole ad dimidiam fere partem solutione flavo-fusca.

Ammonium carbonicum crudum seu *Alkali volatile crudum. Carbonas ammonicus crudus. Rohes flüchtiges Laugensalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex ammonio muriatico sublimatione cum creta.

Sal in crystallis cohaerentibus, friabilibus, albis, superficie mox pulverulentis, in aëre tandem plane fatiscentibus, fauces naresque inter respirandum valde irritans, in igne plane avolans, in aquae duabus partibus solubilis. Constat ex ammonio et acido carbonico. Ad usum internum non adhibeatur nisi a plumbi inquinatione plane liber sit, quod aqua hydrosulphurata aut acido sulphurico dignoscitur. Nimia copia ammonii muriatici immixti detegitur si acido nitrico neutralisatur, et liquor argenti nitrici affunditur, quo praecipitatum album caseosum dejicitur.

Ammonium muriaticum crudum seu *Sal ammoniacum crudum. Hydrochloretum Ammonii crudum. Roher Salmiak.*

Praeparatur in officinis chemicis ex partibus constitutivis vario modo junctis.

Sal in placentis supra convexis infra concavis, interdum conicis, albis, extus fuligine interdum denigratis, sapore acri, in aquae partibus tribus solubilis, igne avolans. Constat ex ammonio et acido muriatico. Non nisi sublimatus adhibeatur. Sit ab

acido sulphurico et inquinamentis metallicis plane liber; hoc colore et aqua hydrosulphurata, illud baryta nitrica exploratur.

Amomum. Semen. *Englisch Gewürz.*

Myrtus Pimenta Linn. Arbor in India occidentali frequens.

Baccae immaturae siccatae, globosae, subrugosae, e fusco nigrae, biloculares, seminibus duobus, odoris et saporis aromatici. Cave ne semina Cocculi palmati immixta sint.

Amygdalae amarae. *Bittere Mandeln.*

Amygdalus communis Linn. Variet. Arbor Orientis et Africae borealis, in Europa meridionali culta.

Semina oblonga, compressa, extus e fusco flavescentia, intus alba, sapore amaro, acido hydrocyanico praedita. Rejiciantur vetusta maculis flavis intus foeda.

Amygdalae dulces. *Süfse Mandeln.*

Amygdalus communis Linn.

Semina oblonga, compressa, amaris similia sed majora, sapore grato haud amaro. Rejiciantur vetusta, saporis rancidi et maculis flavis intus conspersa.

Amylum. *Kraftmehl.*

Tritici variae species cultae.

Angelica. Radix. *Angelikwurzel.*

Angelica Archangelica Linn. Planta biennis Europae borealis.

Radix capite (rhizomate) oblongo, crasso, fibris seu radiculis densis, longis, carnosis, ad 2 lin. crassis, extus nigro-fusca, intus alba, folliculis numerosis flavis, odore gravi, sapore acri-aromatico. Colligatur anno aetatis secundo, tempore verno.

Angustura. Cortex. *Angusturarinde.*

Bonplandia trifoliata Willdenowii seu *Angostura Cuspare Roemeri et Schultesii. Arbor in sylvis ad fluvium Orenoco in America meridionali indigena.*

Cortex in frustis planiusculis aut convexis, lin. dimid. ad lineam crassis, extus epidermide crassiuscula subfarinacea e lutescenti alba, parte interiore fractura aequabili e luteo fusca, superficie interna e flavo fusca, laevi, saporis subaromatici, subacris, intense amari. Cavendum est, ne substituatur cortex spurius, ex India orientali allatus, summe deleterius, externe cinereus, verruculis albis et maculis rubiginosis notatus, interne subniger, saporis intense amari nauseosi, cuius decoctum solutione ferri sulphurici nigro colore tingitur.

Anisum. Oleum. *Anisöl.*

Destillatum e pedicellis et seminibus Pimpinellae Anisi Linn., plantae annuae orientalis in Europa cultae.

Oleum aethereum flavescens, graveolens, saporis subdulcis, gr. + 5 — 7, massam crystallinam exhibens. P. sp. = 0,987.

Anisum stellatum. Semen. *Sternanis.*

Illicii species, in Insulis Philippinis crescens.

Capsulae 6–8 in orbem positae, compressiusculae, extus rugosae, intus laevigatae, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina solitaria compressa nitida continentes, odoris aromatici grati, saporis subdulcis.

Anisum vulgare. Semen. *Anis.*

Pimpinella Anisum Linn.

Fructus subglobosi, striati, virescentes, pubescentes, pilis brevissimis, saporis subdulcis aromatici.

Aqua communis. *Gemeines Wasser.*

Aqua pluvialis filtrata purissima praestat. Si vero deficit, aqua fluvialis per aliquod tempus reposita et filtrata substitui potest, nisi nimiam copiam heterogeneorum contineat. Aqua fontana, valde impura, non adhibeatur nisi praescripta fuerit.

Argentum. *Silber.*

E mineris argenti in officinis metallariis obtinetur.

Metallum album, ductile, p. sp. 10,5; via sicca non oxydatur; in acido nitrico solutum, admixto acido muriatico aut salibus muriaticis, argentum muriaticum format, praecipitatum caseosum, album,

luce purpurascens, demum nigrescens, in aqua minime, in liquore ammonii caustici facile, solubile sistens. Sumatur, quod cupellatum vocant, nonnisi tantillum plumbi interdum continens, et rejiciatur, quod nimis cupro inquinatum prostat, ita ut in acido nitrico solutum colorem coerulescentem ostendat.

Argentum foliatum. *Blattsilber.*

Praeparatum officinarum technicarum.

Argentum in lamellas tenuissimas reductum. Sit a cupro liberum, quantum obtineri potest.

Armoracia seu Raphanus rusticanus. Radix. *Meerrettig.*

Cochlearia Armoracia Linn. Planta perennis Germaniae, frequenter culta.

Radix longissima, simplex, cylindrica, albida, carnosa, succulenta. Non nisi recens adhibeatur. Colligenda auctumno.

Arnica. Flores. *Wohlverleihblumen.*

Arnica montana Linn. Planta perennis Germaniae.

Flores compositi, radiati, lutei, calyce e foliolis linearibus aequalibus disci longitudine, ligulis disco duplo longioribus, 2 lin. latis, tridentatis, pappo ses-

sili scabriusculo fragili, saporis ex acri amaricantis, digitis confricati sternutationem moventes. Ne confundantur cum floribus Inulae brittannicae quorum ligulae angustiores. Colligendi recens evoluti.

Arnica. Herba. *Fallkraut. Wohlverleih.*

Folia oblonga, in petiolum attenuata, acutiuscula, triplinervia, integerrima, magis minusve pubescentia, colore pallide virescente, saporis subacris et subamari. Colligenda mense Maio.

Arnica. Radix. *Wohlverleihwurzel.*

Radix (rhizoma) flexuosa, extus fusca, longitudinaliter rugosa, cortice fusco, ligno duriusculo, albente, medulla majore, fibras s. radiculas longas densas in altero latere emittens, subamara et subacris, aromatica. Colligenda vere.

Arsenicum album. *Acidum arsenicosum. Weifser Arsenik.*

Praeparatur in officinis metallariis e mineris arsenici, cobalti et aliis, sublimatione.

Compactum, ponderosum, album, recens subpellucidum, tempore opacum, in aqua difficile solubile, e metallo proprio et oxygenio constans. Perniciosissimum venenum. Super prunis sub forma fumi

albi avolat, nidorem alliaceum spargens. In tubo vitreo, inferne clauso, cum carbonum pulvere ignitum, superiorem partem tubi crusta metallica splendente induit. E solutione, aqua hydrosulphurata colore citrino, liquore cupri sulphurico-ammoniati colore e flavo-viridi praecipitatur. Maxime caute et secundum leges servandum.

Artemisia. Radix. *Beifuſswurzel.*

Artemisia vulgaris Linn. Planta perennis in Germania frequens.

Radix conica, inflexa, apice in ramos plures longos divisa, deorsum ramos copiosissimos elongatosque emittens, longitudinaliter rugulosa, colore extus fusco, intus albo, odore terreo, sapore subdulci, mucilaginoso, demum acri. Colligenda autumno.

Asa foetida. *Stinkender Asand.*

Succus aëre condensatus e radice resecta Ferulae Asae foetidae Kaempf. plantae perennis Persiae.

Gummi-resina, in glebis granisve, extus e roseofuscis, intus albidis, plerumque inter se conglutinatis, interdum subdiaphanis, splendore pingui, tenax, sub digitis lentescens, saporis ex acri amaricantis, nidoris alliacei nauseosi. In aqua partim solvitur solutione albescente turbida, in alcohole partim solutione flavo-rubente limpida.

Asarum. Radix. *Haselwurzel.*

Asarum Europaeum Linn. Planta perennis sylvestris Germaniae.

Radix flexuosa, longitudinaliter rugosa, cortice exteriore albo, intimo fusco, lineae instar lignum album cingente, radiculas plurimas tenues implexas emittens, e cinereo-fusca, sapore amaro et acri nauseoso, odore sternutationem excitante. Colligenda mense Augusto.

Asphaltum seu Bitumen Iudaicum. *Asphalt oder Judenpech. Schlackiges Erdpech.*

Bitumen solidum, tum mari mortuo et aliis quibusdam Asiae et Europae lacubus innatans, tum in fodinis Galliae aliarumque Europae provinciarum occurrens.

Frusta compacta, friabilia, nigra, tritura fusca, recente fractura splendentia, admota flamma post liquationem odore bituminoso deflagrantia. Cave, ne pice solida inquinatum sit, quod solutione in alcohole dignoscitur.

Aurantium seu Napha. Flores. *Pomeranzenblüthen.*

Citrus Aurantium Linn. Arbor e China oriunda, in variis regionibus calidioribus et apud nos in hybernaculis culta.

Florum recentium petala alba, succulenta, nec non calyx quinquedentatus cum germine supero, odore fragrantissimo suavi, sapore subamaro aromatico.

Aurantium. Florum oleum. *Oleum Neroli. Pomeranzenblüthenöl.*

Destillatione e floribus Citri Aurantii in Europa meridionali paratum.

Oleum aethereum, e rufo-flavum, fragrans. P. sp. = 0,819.

Aurantium. Folia. *Pomeranzenblätter.*

Folia ovalia, acuminata, subserrata, glabra, petiolo alato, ala latiore ac in foliis Citri Aurantii sinensis, angustiore ac in Citri decumanae foliis, saporis amaricantis, odoris fragrantis.

Aurantium. Poma immatura. *Unreife Pomeranzen.*

Fructus immaturi siccati, globosi, ad magnitudinem cerasorum usque electi, e viridi-nigrescentes, aromatici, amari.

Aurantium. Pomorum cortices. *Pomeranzenschalen.*

Cortex fructus maturi, amaritie aromatica, odore suavi.

Aurum foliatum. *Blattgold.*

Praeparatum officinarum technicarum.

Aurum in lamellas subtilissimas redactum.

Avena. Semen excorticatum. *Hafergrütze.*
Avena sativa Linn.

Balsamum Peruvianum seu Indicum nigrum.
Schwarzer Peruvianischer Balsam.

Succus ustione ligni Myroxyli peruiferi Linn. fil., arboris Americae meridionalis praesertim in regno Novo-Granatensi frequentis, eliquatus.

Liquor oleosus, spissiusculus, e nigro rubens, saporis acris aromatici, odoris suavis benzoini, acidum benzoicum quoque continens. In alcoholis partibus quinque fere ex toto solubilis, solutione primum turbida, tum calore adhibito limpida, sedimento pauco. Adulteratio oleo pingui, solutione in alcohole, adulteratio balsamo Copaivae facta, odore, si acidum benzoicum antea ammonio neutralisatum fuerit, adulteratio tandem oleo aethereo facta, similiter odore deprehenditur. A 1000 partibus in alcohole solutis 75 partes natri carbonici crystallisati neutralisentur. P. sp. = 1,140 — 1,150.

Balsamum Peruvianum seu Indicum album, *weifser Peruvianischer Balsam*, ex arbore ignota Ame-

ricae meridionalis stillans, colore flavescente, a nigro differens et rarissimum, nigro non praeferatur.

Balsamum Tolutanum. *Tolubalsam.*

Succus aëre induratus Myroxyli toluiferi Richard. fil.

Resina sicca, digitis tractata mollescens, coloris e flavo fusci, saporis aromatici, odoris benzoini.

Bardana. Radix. *Klettenwurzel.*

Arctium Lappa et Bardana Willd. Plantae biennes in Germania obviae.

Radix longa, subsimplex, radiculis paucis, longitudinaliter rugosa, extus nigricans, cortice intus albo, versus lignum fuscescente, ligno crasso poroso albente, saporis ex acri subdulcis. Colligatur vere, secundo aetatis anno. Maxime cave ne radices Belladonnae immixtae sint.

Baryta sulphurica nativa. *Spatum ponderosum. Sulphas baryticus nativus. Schwerspath.*

Minerale in metallifodinis Hercyniae, Saxoniae aliisque obvium.

Lapis in frustulis albis, lamellosis, ponderosis, e Baryta et acido sulphurico constans, in aqua plane indissolubilis. Eligantur frustula heterogeneis corporibus minus inquinata.

Basilicum. Herba. *Basilienkraut.*

Ocymum Basilicum Linn. Planta annua Persiae et Indiae orientalis, nobis hortensis.

Herba ramosa, interdum purpurascens, foliis ovatis acutis, integerrimis aut serratis, glabris, punctatis, gratissimum odorem spargens. Colligenda mense Iunio.

Belladonna. Herba. *Tollkirschenblätter, Belladonnenblätter.*

Atropa Belladonna Linn. Planta perennis Europae.

Folia magna, in petiolum attenuata, ovalia, repanda, acutiuscula, intense viridia, iuniora pubescentia, adulta nervis tantum subpubescentia, valde virulenta. Sumantur e planta sponte nascente, et ultra annum non serventur. Ne confundantur cum foliis Solani nigri, minoribus, subangulatis, scabriusculis. Colligenda mense Iulio. Caute servanda.

Belladonna. Radix. *Belladonnenwurzel.*

Radix longa, versus caulem ramosa, in decursu simplex, fibris seu radiculis paucis, extus sordide lutea, intus albida, cortice versus lignum fuscescente, ligno crasso porosulo, odoris exigui melliti, valde venenosa. Colligenda vere. Caute servanda.

Dosis utriusque ad Grana quatuor.

Benzoë seu Asa dulcis. *Benzoeharz.*

Succus aëre induratus Styracis Benzoës Dryandri, arboris Indiae orientalis, praesertim in Sumatra frequentis.

Resina e luteo-fusca, frustulis albis immixtis variegata, friabilis, nitens, saporis subacris et odoris pergrati, acidum benzoicum continens. In alcoholis tribus partibus fere ex toto, in aethere sulphurico pro maxima parte solvitur.

Berberis. Baccae. *Berberizenbeeren.*

Berberis vulgaris Linn. Frutex Germaniae.

Baccae recentes oblongae, coccineae, nitidae, carnosae, seminibus 2 – 3, peracidae.

Bergamottae oleum. *Bergamottöl.*

Praeparatum officinarum technicarum e Citri Aurantii varietatis fructibus.

Oleum aethereum e fuscescente-flavum, fragrans. P. sp. = 0,856.

Bismuthum vulgo Marcasita. *Wismuth.*

E mineris eliquatione in officinis metallariis paratur.

Metallum fragilissimum, ex albo subrubicundum, fractura lamellosa, leni igne liquescens, fortiori in

atmosphaera instar fumi flavi avolans. Acido nitrico solutum per aquam praecipitatur. P. sp. fere 10,0.

Boletus igniarius. *Feuerschwamm.*

Praeparatum e Boleto igniario Linn., fungo per totam Europam frequentissimo, in quercubus, betulis et aliis arboribus.

Fungi pars interior siccata, fusca, levis, spongiosa, tenax. Cave ne kali nitrico impraegnatus sit.

Bolus alba. *Weiſser Bolus.*

Minerale, variis in locis effossum.

Terra cohaerens, friabilis, albida, inquinans, humectata tenax, in aqua dilabens, maxima parte ex argilla constans. Praestat elutriatione a partibus heterogeneis depurata.

Bolus Armena. *Armenischer Bolus.*

Minerale non solum in Armenia, sed etiam in Germania cet. obvium.

Terra cohaerens, friabilis, tactu pinguis, e luteo rubra, ex argilla et ferro oxydato mixta.

Borax. *Boras natricus cum aqua. Borax.*

Praeparatum officinarum chemicarum e Borace crudo, Tincal *dicto, sale fossili in Asia media reperiundo.*

Sal in frustis crystallinis albis duris, in aëre paullulum fatiscentibus, sapore subdulci lixivioso, in aquae duodecim partibus solubilis, leniore igne tumescens, fortiore vitrescens. Constat e natro et acido boracico, illo praevalente, nec non magna aquae copia.

Brassica Rapa. Radix. *Weiſse Rübe.*

Brassica Rapa sativa Linn.

Bryonia. Radix. *Gichtrübe. Zaunrübe.*

Bryonia alba Linn. et Bryonia dioica Jacquini. Plantae perennes Germaniae.

Radix recens fusiformis, lactescens, praegrandis, in taleolas transversas dissecta et siccata alba, annulis (corticis) sibi invicem incumbentibus, ligno e fasciculis compactis composito, sapore amaro nauseoso. Colligenda auctumno.

Cacao. Semina. *Kakaobohnen.*

Theobroma Cacao. Linn. Arbor in Americae regionibus calidioribus culta.

Semina ovato-oblonga, compressa, dura, e fusco nigricantia, oleo unguinoso miti turgida, saporis oleosi subamari grati.

Cajeputi. Oleum. *Cajeputöl.*

Paratur destillatione in India orientali e ramis et foliis Melaleucae Leucadendri Linn. arbusculae ibidem indigenae.

Oleum aethereum tenue, plerumque viride, rarius flavescens, odoris fragrantis camphoracei, saporis acris et aromatici. P. sp. = 0, 926. Quod cuprum continet, non nisi ad oleum rectificatum inde parandum aut ad usum externum adhibeatur.

Calamus. Radix. *Kalmuswurzel.*

Acorus Calamus Linn. Planta perennis palustris Germaniae.

Radix (rhizoma) cylindrica, compressa, annulata, crassitie uni-bipollicari, extus virens rubensve, radiculis abscissis cicatrisata, intus alba spongiosa, saporis amari et aromatici, odoris grati. Plerumque deglupta et longitudinaliter scissa prostat. Colligenda sero auctumno aut vere.

Calcaria usta seu Calx viva. *Oxydum calcicum. Gebrannter Kalk.*

Praeparatur in fornacibus calcariis e lapide calcario ustione.

Lapis friabilis, albidus, cum aqua incalescens et difficillime solubilis. Constat e terra calcaria saepe aliis terris et ferro oxydato mixta. In vasis bene clausis servetur.

Camphora. *Kampher.*

Praeparatur in Japonia sublimatione e ramis foliisque Lauri Camphorae Linn. *arboris ibidem indigenae. In Europa iterata sublimatione depuratur.*

Resina volatilis, in placentis orbiculatis, supra convexis infra concavis, alba, nitida, pellucida, levis, pinguiuscula, odoris proprii fragrantissimi, saporis acris aromatici, in aëre temperatura media plane avolans, leni igne liquata olei instar fluens, accensa absque residuo deflagrans, in aqua parum, sed in spiritu vini nec non in aetheribus et in oleis, tum unguinosis, tum aethereis, ex toto solubilis.

Cancer. Lapides. *Krebssteine.*

Concrementa e ventriculo Cancri Astaci Linn. *sive* Astaci fluviatilis Fabricii, *animalis crustacei Germaniae.*

Calculi albi, orbiculati, supra convexi, infra cum margine elevato concavi, texturae lamellosae. Constant praesertim e calcaria carbonica et gelatina, quae post solutionem in aceto concentrato remanet.

Canella alba. *Weiſser Zimmt.*

Canella alba Murray. Frutex Jamaicensis.

Cortex internus durus, magis minusve convolutus, extus et intus e flavo aut fuscescente albicans, striis saepe transversis rubescentibus, superficie interna alba, fractura aequabili, ad lineam crassus, saporis aromatici acris, odoris parum fragrantis.

Cannabis. Semen. *Hanfsamen.*

Cannabis sativa. Linn. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina subglobosa, laevia, colore albido, sapore oleoso-mucilagineo.

Cantharides. *Spanische Fliegen.*

Meloë vesicatorius Linn. seu Lytta vesicatoria Fabricii. Insectum in Europa media et australi reperiundum.

Insecta coleoptera, 6–8 lin. longa, colore ex viridi aureo, splendentia, antennis nigris filiformibus, odoris ingrati, principio acri praedita. Mense Iunio et Iulio, dum fraxinum, syringam et ligustrum gregatim depascunt, colligi possunt. Caute serventur.
Dosis: ad Granum dimidium.

Capsicum annuum seu Piper Hispanicum. Fructus. *Spanischer Pfeffer.*

Capsicum annuum Linn. Planta annua Americae australis, apud nos in hortis culta.

Baccae coriaceo-membranaceae, conicae, nitidae, coloris rubri, bi-triloculares, seminibus albis compressis repletae, saporis piperiti fervidi.

Carbo vegetabilis. *Kohle.*

Cardamomum minus. *Kleine Kardamomen.*

Alpinia Cardamomum Roxburgh., sive Elettaria Cardamomum Whitei et Matoni. Planta perennis Indiae orientalis.

Semina parva, subnigra, subtriangularia, rugosa, sapore intense aromatico, odore fragrante camphoraceo, in capsula membranacea triquetra, utrinque acuminata, longitudine semipollicari, triloculari.

Carduus benedictus. Herba. *Kardobenediktenkraut.*

Centaurea benedicta Linn. Planta annua, ex insulis Archipelagi, in hortis medicis culta.

Herba florens peramara, foliis sessilibus, sinuato-pinnatifidis, denticulatis, spinulosis, pubescentibus, floribus compositis, flosculis tubulosis luteis, calyce cum bracteis obvallantibus arachnoideo-tomentosis. Colligenda statim post florum evolutionem.

Carex arenaria. Radix. *Sandriedgraswurzel.*

Carex arenaria Linn. Planta perennis in locis arenosis Germaniae frequens.

Radix (stolo) praelonga, repens, nodosa, in internodiis radiculas non emittens, extus rubens, intus alba, saporis subdulcis farinacei, odoris terebinthinacei. Ne confundatur cum radice Caricis hirtae, odoris plane experte, in internodiis saepe radiculas emittente. Colligenda primo vere.

Caricae. *Trockne Feigen.*

Ficus Carica Linn. Arbor Europae meridionalis et Orientis.

Receptacula carnosa, semina parva includentia, saporis dulcis et mucilaginosi.

Carvi. Oleum. *Kümmelöl.*

Praeparatum chemicum e seminibus Cari Carvi Linn., plantae perennis Europae.

Oleum aethereum recens subflavescens, deinde in fuscum colorem vergens, graveolens. P. sp. = 0,95.

Carvi. Semen. *Kümmelsamen.*

Carum Carvi.

Semina oblonga, utrinque attenuata, striata, glabra, e fusco cinerea, odoris aromatici.

Caryophyllata. Radix. *Nelkenwurzel.*

Geum urbanum Linn. Planta perennis in Germania frequens.

Radix (rhizoma) brevis, 1–2 lin. crassa, radiculas copiosas tenues longas emittens, cortice extus fusco, intus rubente, ligno albo, recens collecta et siccata odore et sapore aromatico subcaryophyllaceo praedita. Colligatur primo vere locis siccis, nec ultra annum servetur.

Caryophylli. *Gewürznelken.*

Caryophyllus aromaticus Linn. seu Eugenia caryophyllata Thunbergii. Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.

Germina cum calyce quadridentato e fusco nigricantia, saporis acris summe aromatici, odoris fragrantissimi.

Caryophylli. Oleum. *Nelkenöl.*

Destillatione paratur e Caryophyllis in India orientali.

Oleum aethereum spissiusculum, recens subflavescens, deinde in fuscum colorem vergens, fragrans, saporis aromatici urentis. P. sp. = 1,030 — 1,036.

Cascarilla. Cortex. *Kaskarillrinde.*

Croton Eluteria Swartzii. Frutex Jamaicae aliarumque regionum Americae calidioris.

Cortex saepissime convolutus seu canaliculatus, extus cinereus, intus e fusco ferrugineus, fragilis

fractura aequabili nitente, saporis acris amari, prunis injectus gratum spargens odorem.

Cassia cinnamomea. *Zimmtkassie.*

Laurus Cassia Linn. Arbor Indiae orientalis.

Cortex internus ramorum, odore et sapore aromatico ad cinnamomum acutum quidem proxime accedens, sed colore magis saturato, crassitie et sapore acriore distinguendus.

Cassia cinnamomea. Oleum. *Zimmtkassienöl.*

Paratur destillatione e Cassia cinnamomea in India orientali.

Oleum aethereum flavum, deinde in colorem fuscum vergens, fragrans, saporis dulcis urentis, aqua gravius. P. sp. = 1,071. Rejiciatur oleum e floribus cassiae destillatum tenuius, coloris minus saturati et odoris minus grati.

Castoreum. *Bibergeil.*

Castor Fiber Linn. Animal in Europa et Asia septentrionali praesertim ad ripas habitans.

Substantia animalis, recens molliuscula flava, exsiccata compacta, friabilis, subfusca, membranulis tenuioribus intertexta, odoris proprii nauseosi, saporis amaricantis subacris, in folliculis inter anum et genitalia positis secreta. Affertur e Russia nec

non e Polonia, Borussia aut Germania, in istis folliculis subglobosis, magnitudine ovi gallinacei vel maiore, siccatis coriaceis, in medio cavis, e fusco nigris. Ne confundatur cum Castoreo Canadensi infra describendo.

Catèchu vulgo Terra Japonica. *Catechu.*

Extractum aquosum siccum ligni Acaciae Catechu Willdenowii aliarumque Acaciae specierum in India orientali paratum.

Frusta compacta, fragilia, e nigro fusca, stratis pallidioribus saepe mixta, fractura nitentia, inodora, saporis adstringentis, in spiritu vini rectificato et in aqua calida aeque solubilia, pro maxima parte e principio adstringente constantia. Rejice frusta cubica ex argilla compacta, decocto quodam adstringente imbuta.

Centaurium minus. Herba. *Tausendgüldenkraut.*

Erythraea Centaurium Richardi. Planta annua pratensis Germaniae.

Herba florens, caule angulato, superne ramoso, foliis oppositis, ovalibus, obtusis, triplinerviis, integerrimis, caulinis sessilibus, floribus rubentibus, saporis amari acris. Colligatur mense Iulio.

Cera alba. *Weiſses Wachs.*

Paratur e Cera flava per insolationem.

Est compacta, candida, in tenui lamina diaphana, cera flava durior et minus facile igne liquescens. Masticata dentibus non adhaereat. In alcoholis ebullientis viginti partibus solvatur, refrigeratione fere tota subsidens. Rejiciatur sebo adulterata, odore sese prodens.

Cera flava. *Gelbes Wachs.*

Eliquatur e favis Apis mellificae Linn. insecti hymenopteri.

Est compacta, unguinosa, frigore fragilis, calore manus emollienda, saturate flava, fractura subgranulosa, igne liquescens, odore proprio. Cave ab inquinamentis.

Cerasa acida. *Saure Kirschen.*

Pruni Cerasi Linn. varietas, quae lingua vernacula: schwarze saure Kirsche, audit, arbor in pomariis frequentissima.

Drupae nigrae, grata aciditate praeditae.

Cerussa. *Carbonas plumbicus. Bleiweiſs.*

Paratur in officinis chemicis e plumbo vaporibus aceti corroso, aut e plumbo basico ope acidi carbonici.

Cohaerens friabilis, alba, digitos inquinans, ponderosa, e plumbo oxydato et acido carbonico con-

stans. Creta non sit inquinata, quae dignoscitur, quod cum acido nitrico iuncta in alcohole solvatur; nec baryta sulphurica, quae in acido nitrico post solutionem cerussae remanet.

Cervus. Cornu. *Hirschhorn.*

Cornu Cervi Elaphi Linn., animalis in Germania frequentis.

Materia ossea, aut in segmentis, aut in frustulis tenuissimis, coctione gelatinam praebens.

Cetaceum vulgo Sperma Ceti. *Wallrath.*

E Physeterum, praesertim Macrocephali Linn. cavitatibus, cranio superne impositis, ductibusque subcutaneis corporis, eliquando et depurando obtinetur.

Materia sebacea, duriuscula, candida, subpellucida, lamellosa, tactu lubrica, sapore blando, in spiritu vini calido et in aethere solubilis.

Chaerophyllum sylvestre. Herba. *Kälberkropfkraut.*

Chaerophyllum sylvestre Linn. Planta biennis ad sepes in Germania frequens.

Folia supradecomposita ad basin pilosiuscula, laciniis lanceolatis acutis, margine et nervo scabris. Sumantur altero anno ante florescentiam. Cave ne commutes cum Conio maculato.

Chamomilla Romana. Flores. *Römische Kamillen.*

Anthemis nobilis Linn. Planta perennis Europae meridionalis.

Flores compositi radiati, receptaculo fere plano paleaceo, flosculis disci plerumque luxuriantibus, flosculis radii similibus, saporis aromatici, odoris gravis. Ne confundantur cum *Achilleae Ptarmicae Linn.* floribus, ligulis brevibus, odore, distinctis. Colligantur mense Iunio et Iulio.

Chamomilla vulgaris. Flores. *Gemeine Kamillen.*

Matricaria Chamomilla Linn. Planta annua in Germania frequens.

Flores compositi radiati, receptaculo conico nudo intus cavo, flosculis disci flavis, amaris et fragrantibus, flosculis radii albis, insipidis. Ne confundantur cum floribus *Anthemis Cotulae Linn.*, cujus receptacula paleacea intus solida sunt. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Chelidonium majus. Herba. *Schöllkraut.*

Chelidonium maius Linn. Planta perennis in ruderatis et umbrosis Germaniae frequens..

Herba foliis pinnatis, pinnis petiolatis, ovatis, crenato-incisis, tenuibus, subtus praesertim nervis pu-

bescentibus, odoris ingrati, succo luteo acri repletis. Colligenda mense Majo.

Chenopodium ambrosiacum sive Botrys Mexicana. Herba. *Mexicanisches Traubenkraut.*

Chenopodium Ambrosioides Linn. Planta annua Mexicana, nobis hortensis.

Herba florens graveolens, saporis aromatici, racemis foliosis simplicibus, foliis lanceolatis, remote dentatis, scabris. Colligenda mense Iulio.

China. Cortex fuscus seu officinalis. *Cortex Peruvianus. Braune Chinarinde.*

Cinchona Condaminea Humboldti? Arbor Peruviae indigena in jugis alpinis crescens.

Cortex frustis utrinque convolutis, a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, lineam dimidiam crassus, e fusco griseus, epidermide alba pulverulenta aut furfuracea, rimis frequentibus transversalibus haud profundis, intus strato extimo tenui ferrugineo, sub quo annulus nigricans nitidiusculus, medio aequabili fusco-rubro, intimo subfibroso paullulum dilutiore. Praeferatur cortex de Guanuco seu Huanuco dictus. Deterioris sunt conditionis cortices rimis transversalibus plane carentes, annulo nigricante nullo, intus colore pallidiore, crassiores nec non tenuisimi, epidermide non furfuracea nec pulverulenta, sed lichenibus obsita.

China. Cortex regius. *Königs-Chinarinde.*

Cinchona angustifolia Ruiz seu *Cinchona lancifolia Mutis? Arbor in jugis alpinis Americae meridionalis spontanea.*

Cortex frustis planiusculis aut convexis, plerumque non convolutis, 2--4 lin. crassus, epidermide farinosa, alba, hinc inde secedente, rimis transversalibus frequentibus, exteriore corticis strato crassiusculo, extus fusco, intus ferrugineo, interiore crassiore, fibroso, rubro, introrsum flavescente, intima superficie saepius rufescente. Praeferatur China de Calisaya dictus, exteriore corticis strato tectus. Ne commutetur cum China, quam flavam vulgo dicunt, quae dignoscitur defectu rimarum, corticis strato exteriore tenuiore, saepe deficiente, strato interiore toto nec intima tantum parte flavescente.

China. Cortex ruber. *Rothe Chinarinde.*

Cinchona angustifolia Ruiz? Arbor Americae australis.

Cortex praecedenti simillimus nec nisi colore rubro strati interioris diversus, ita ut a varietate desumtus videatur.

Sint cortices Chinae, saporis peculiaris nonnisi usu cognoscendi, odoris veluti mucidi tamen aromatici. Infusum corticis fusci aqua frigida paratum sit colore vini albi Gallici, nunquam in fuscum vergente, e cortice rubro rubescente; decoctum refrigeratum lactescat. Infusum liquore tartari stibiati

affuso, plus minusve turbetur, sicuti tinctura gallarum; liquore ferri oxydulati muriatici sicci tingatur colore smaragdino.

Cinae seu Santonici Semen. *Zittwersamen. Wurmsamen.*

Artemisia Contra Linn.? Fruticulus in Palaestina.

Semina exigua, oblonga, viridi-flava, calycibus cylindricis imbricatis pedicellisque mixta, saporis amaro-acris, odoris aromatici. Rejiciantur floribus tanaceti adulterata, forma facillime dignoscendis. Praestat Semen Halepense.

Cinnabaris. *Bisulphuretum Hydrargyri. Zinnober.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex hydrargyro et sulphure sublimatione.

Compacta, radiosa, fragilis, colore plumbeo tritura rubro, ponderosa, in igne plane volatilis. Sumatur cinnabaris compacta, minime pulverata.

Cinnamomum acutum. *Zimmt.*

Laurus Cinnamomum Linn. Arbor Indiae orientalis.

Cortex internus ramorum, coloris fusco-rubri, odoris fragrantissimi, saporis dulcis aromatici. Eligantur cortices tenuiores.

Cinnamomum acutum. Oleum. *Zimmetöl.*

Paratur destillatione e cortice Lauri Cinnamomi Linn. in India orientali.

Oleum aethereum recens flavum, deinde in fuscum colorem vergens, fragrans, saporis dulcis urentis. P. sp. = 1,044.

Citrus. Corticis oleum. *Oleum de Cedro. Zitronenöl. Cedroöl.*

In Europa meridionali e fructuum corticibus Citri medicae Linn., arboris orientalis, apud nos in hybernaculis cultae, expressione paratur.

Oleum aethereum expressum tenue, subflavum, odore fragrante, saporis non urentis. P. sp. = 0,856.

Citrus. Poma. *Zitronen.*

Citrus medica Linn.

Citrus. Succus. *Zitronensaft.*

Paratur in Europa meridionali e fructibus Citri medicae Linn. expressione.

Liquor flavescens, saporis et odoris grati acidi, acidum citricum maxima ex parte continens. Sit purus, aliis acidis non inquinatus, et saltem talis aciditatis, ut unciae tres sufficiant ad drachmam kali carbonici neutralisandam. Si medici praescriptio jubet, succus e fructibus recentibus exprimatur.

Clematis erecta seu Flammula Iovis. Herba. *Brennkraut.*

Clematis erecta Linn. Planta perennis Germaniae meridionalis.

Herba florens peracris, foliis pinnatis, petiolis non scandentibus, foliolis subcordatis, trinerviis, oblongo-lanceolatis, integerrimis, corollis tetrapetalis aut pentapetalis, albis, extus non tomentosis. Colligenda mense Iulio.

Coccionella. *Kochenille.*

Foeminae siccatae Cocci Cacti Linn., insecti rhyngoti F., in regno Mexicano Cactum coccinelliferum inhabitantis.

Granula parva, transversim rugosa, extus e rubro nigricantia, pruina alba adspersa, tritura purpurea, principium tingens continentia.

Cochlearia. Herba. *Löffelkraut.*

Cochlearia officinalis Linn. Planta biennis, ad littora Europae borealis frequens, apud nos in hortis culta.

Herba florens succulenta, foliis radicalibus cordatis, subrotundis, caulinis sessilibus, oblongis, sinuato-dentatis, principio acri volatili praedita. Non nisi recens adhibeatur. Colligenda vere.

Colocynthis. Poma. *Koloquinte.*

Cucumis Colocynthis Linn. Planta annua orientalis.

Fructus a cortice exteriore mundatus, pomi magnitudinis et figurae, semina albicantia in pulpa alba, levi, spongiosa, amarissima includens.

Dosis ad Granum dimidium.

Colombo. Radix. *Kolombowurzel.*

Menispermum palmatum Lamarck. seu Cocculus palmatus Candoll. Planta dioica Africae orientalis.

Radix in taleolas transversim secta, extus subfusca, rugosa, intus e viridi lutea, annulis (corticis) composita, in medio parenchymate ligni fasciculos valde fibrosos continens, saporis perquam amari, odoris subaromatici. Rejiciantur vermibus perforatae.

Colophonium. *Geigenharz.*

Praeparatur e resina Pini sylvestris Linn., arboris Europae borealis.

Resina compacta, friabilis, subdiaphana, coloris e succineo aurantiaci.

Conchae. *Austerschalen.*

Ostrea edulis Linn. Maris Germanici molluscum.

Testae, maxima ex parte calcariam carbonicam continentes. Sint ab omni sorde purgatae.

Conium maculatum. Herba. Cicutae Herba. *Erdschierlingskraut.*

Conium maculatum Linn. Planta umbellifera biennis in Germania frequens.

Herba omnino glabra, foliis compositis, laciniis ultimis oblongis, caule et ramis majoribus leviter striatis, maculis purpureis conspersis, odorem murinum exhalans. Colligatur herba altero anno, cum planta florere incipit, et ultra annum non servetur. Ne commutetur cum Chaerophyllo sylvestri, cujus caulis subsulcatus et folia versus basin pilosiuscula laciniaeque scabrae; nec cum Chaerophyllo bulboso et temulo, quorum caulis basi hispidus aut pubescens et folia hirta aut pubescentia, nec cum Aethusa Cynapio, cujus folia intensius viridia, infra nitida, involucella dimidiata, longa, pendula sunt. Caute serva.

Convallaria majalis seu Lilium convallium. Flores. *Maiblumen.*

Convallaria majalis Linn. Planta perennis sylvatica Germaniae.

Corollae campanulatae, sexfidae, albae, dum vigent suaveolentes, siccatae tritae sternutationem moventes.

Copaiva. Balsamum. *Kopaivabalsam.*

Succus, e caule Copaiferae multijugae Hayne, aliarumque hujus generis specierum in America meridionali praesertim Brasilia, stillans.

Balsamum naturale pellucidum, flavescens, oleo pingui paullo spissius, odoris fragrantis, saporis amaricantis subacris. Sit genuinum, nec terebinthina, nec oleo amygdalarum, adulteratum. Prior, balsamo ferro candenti instillato, odore proprio sese prodit, alterum, balsamo in spiritus vini alcoholisati octo partibus soluto, remanet. Variae species colore tantum magis minusve fusco nec odore diversae in usum recipi possunt.

Coriandrum. Semen. *Koriandersamen.*

Coriandrum sativum Linn. Planta annua Europae meridionalis, apud nos culta.

Fructus globosi, substriati, glabri, sublutei, saporis et odoris aromatici non ingrati.

Creta alba. *Weiſse Kreide.*

Minerale montes integros Europae constituens.

Terra cohaerens, friabilis, inquinans, alba, e calcaria carbonica potissimum constans. Eligatur albissima, rejecta lutea et duriore.

Crocus. *Safran.*

Crocus sativus Linn. Planta perennis Orientis in Europa meridionali culta.

Stigmata e floribus resecta, colore aurantiaco, basi flava, in tres lacinias fissa, apicibus lacinula-

tis, sapore aromatico subdulci, odore fragranti narcotico, principio tinctorio intense flavo, in spiritu vini et in aqua aeque solubili, praedita. Cave ab heterogeneis variis immixtis forma dignoscendis, nec non a Croco, cui principium tingens demtum est.

Cubebae. *Kubeben.*

Piper Cubeba Linn. seu *Piper caudatum Bergii. Frutex Indiae orientalis.*

Baccae siccatae, durae, pedunculatae, globosae, reticulatim rugosae, coloris cinerei, magnitudine et forma piperis, uniloculares, semine solitario, odoris fragrantis, saporis acris aromatici.

Cuminum. Semen. *Mutterkümmel oder Römischer Kümmel.*

Cuminum Cyminum Linn. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina oblonga, striata, e flavo cinerea, asperiuscula, saporis et odoris aromatici subnauseosi.

Cuprum. *Kupfer.*

In officinis metallariis e mineris eliquatur.

Metallum ductile, rufum, p. sp. fere 9,0. Solutum liquore kali ferruginoso-hydrocyanici colore e fusco rubro praecipitatur, et liquore ammonii caustici adfuso colore coeruleo inficitur.

Cuprum sulphuricum venale. *Vitriolum Cupri seu coeruleum. Sulphas cupricus. Kupfervitriol. Cyprischer oder blauer Vitriol.*

Paratur in officinis metallariis plerumque e cupro sulphurato.

Sal in crystallis aut frustis crystallinis coeruleis, diaphanis, demum fatiscentibus, tritura albente, saporis austeri, in aquae partibus duabus, in alcohole non solubilis, e cupro oxydato, acido sulphurico et aqua constans. Sit zinco et praesertim ferro sulphuricis non nimis inquinatus; posterius solutione in liquore ammonii caustici dignoscitur.

Curcuma. Radix. *Gilbwurzel. Kurkume.*

Curcuma longa Linn. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix (rhizoma) cylindrica aut oblonga, tuberculata, rugosa, ponderosa, tenax, extus e luteo fusca, intus intense flava, punctis nitidis conspicua, saporis amari et aromatici.

Cydonia. Semen. *Quittenkörner.*

Cydonia vulgaris Persooni. Arbor orientalis, in hortis et vinetis culta.

Semina oblonga, subcompressa, fusca, multa mucilagine, quam aquae impertiunt, obducta.

Daucus. Succus inspissatus crudus. *Roher Mohrrübensaft.*

Paratur e radicibus Dauci Carotae Linn., plantae biennis Europae frequenter cultae, succum extrahendo et inspissando.

Liquor spissus, mellaginis consistentiae, colore fusco, sapore dulci. Cave ne acidus sit, nec cupro inquinatus, quod ferro polito immerso detegitur, nec empyreuma sapiat.

Digitalis. Herba. *Purpurfingerhutskraut.*

Digitalis purpurea Linn. Planta biennis montana Helvetiae et Germaniae.

Folia oblonga aut oblongo-lanceolata, basi attenuata, sessilia, acute crenata, rugosa, magis minusve tomentosa, saporis amaro-acris. Colligenda tempore primo florescentiae a plantis in montosis sponte crescentibus, nec in horto cultis. Siccetur in umbra ac in vasis a luce remotis nec ultra annum servetur. Caute servanda.

Dosis ad Grana duo.

Dulcamara. Stipites. *Bittersüſsstengel.*

Solanum Dulcamara Linn. Frutex scandens, in sylvaticis paludosisque locis Germaniae frequens.

Rami teretes calami scriptorii crassitie, cortice laevi tecti e cinereo subfusco, sapore e dulci amaro-

acri, odore subnarcotico. Colligendi sero auctumno aut primo vere.

Elemi. *Elemi. Elemiharz.*

Succus aëre induratus Amyris Elemiferae Linn., arboris Americae meridionalis.

Resina compacta, tenax, manu contrectata mollescens, coloris citrini, tritura alba, subpellucida, odoris subfoeniculacei.

Eruca. Semen. *Weiſser Senf.*

Sinapis alba Linn. Planta annua agrestis et culta Germaniae.

Semina parva, globosa, lutea, saporis peracris.

Euphorbium. *Euphorbium.*

Succus lacteus aëre induratus Euphorbiae officinarum Linn., et nonnullarum aliarum Euphorbiae specierum, fruticum Africae meridionalis.

Substantia gummi-resinae affinis, in frustulis difformibus, sordide flavescentibus aut fuscescentibus, opacis, friabilibus, spinarum rudimenta ambientibus, aut horum loco foraminulis praeditis, saporis acerrime urentis nauseosi, prunis injecta odorem haud ingratum spargens. Caute secundum leges servetur.

Fabae albae. *Weiſse Bohnen.*

Phaseolus vulgaris et nanus Linn. Planta annua in hortis culta, ex India oriunda.

Semina oblonga, compressa, reniformia, alba.

Farfara. Folia. *Huflattigblätter.*

Tussilago Farfara Linn. Planta perennis Germaniae.

Folia cordata, rotundata, angulata, sinuato-denticulata, subtus alba, tomentosa, saporis subadstringentis subamari. Colligenda mense Majo.

Fel Tauri. *Ochsengalle.*

Bos Taurus Linn.

Ferrum. *Eisen.*

E mineris propriis in fornacibus metallariis paratur.

Metallum e cinereo nigrescens, magneti obediens, ductile, p. sp. fere 8,0. Oxydulato-oxydatum et in acidis solutum, tinctura gallarum colore violaceo-nigro, et liquore kali ferruginoso-hydrocyanici colore saturate coeruleo praecipitatur. Rejiciatur cupro inquinatum, quod adfuso liquore ammonii caustici colore coeruleo dignoscitur. Sumantur trabeculae, clavi aut fila ferrea, nec limatura, nisi ferrum in praeparatis ad usum externum requisitum fuerit.

Filix. Radix. *Farrnkrautwurzel.*

Aspidium Filix mas Swartz. In sylvis Germaniae frequens.

Radix (rhizoma) magna, residuis petiolorum et squamis paleacis comata, recens extus atro-fusca, intus pallide virescens carnosa, sicca extus e fusco rubra intus e rubescente alba, sapore e dulci subamaricante, odore subnauseoso. Non commutetur cum radice Aspidii filicis foeminae et spinulosi, quae minus carnosae et coloris obscurioris sunt. Ad parandum pulverem radix recens bene deglubatur, caute siccetur et pulvis in vitris bene obturandis servetur. Colligatur auctumno aut vere et ultra annum non servetur.

Foeniculum. Semen. *Fenchelsamen.*

Foeniculum vulgare Gaertn. Planta biennis Galliae meridionalis et Helvetiae, in Germania culta.

Semina oblonga, striata, e viridi cinerea, odoris subaromatici grati, saporis subdulcis.

Foenum graecum. Semen. *Bockshornsamen.*

Trigonella Foenum graecum Linn. Planta annua Europae meridionalis.

Semina subquadrangularia, compressa, rostello inflexo accumbente, dura, lutea, subinde in fuscum colorem vergentia, odoris meliloti.

F o r m i c a e. *Ameisen.*

Formica rufa Linn. Insectum hymenopterum in Europa frequens.

Insecta e rufo nigricantia, acido volatili, odorem aceti spargente, praedita. Non nisi viventia et ab quisquiliis mundata adhibeantur.

F r u m e n t u m. S p i r i t u s. *Kornbranntwein.*

Destillatum e granis cerealium fermentationi subjectis.

Liquor ex alcohole, aqua et oleo quodam peculiari plus minus mixtus. Sit ponderis specifici 0,940 ad 0,950.

F u m a r i a. H e r b a. *Erdrauchkraut.*

Fumaria officinalis Linn. Planta annua, inter olera et segetes frequens.

Herba florens salso-amara, foliis glaucis compositis, laciniis ultimis ovalibus, floribus rubris. Colligenda Majo et Iunio.

G a l a n g a. R a d i x. *Galgantwurzel.*

Planta ignota Chinensis.

Radix (rhizoma) teres, crassitie digiti, annulata, extus e fusco rufa, intus rubicunda, saporis acris amaricantis, odoris aromatici.

Galbanum seu Gummi Galbanum. *Mutterharz.*

Succus aëre induratus plantae ignotae orientalis.

Gummi-resina in placentis e granis plerumque conglutinatis, rarius in granis separatis, albo-lutescens, maculis albis, in frustis minoribus subpellucida, parum splendens, frigore fragilis, manus calore emollienda, saporis amaro-acris, odoris gravis subnauseosi. Aqua tertiam circiter partem solvit solutione lactescente, spiritus vini majorem copiam, solutione intense flava.

Gallae. *Galläpfel.*

Tumores foliorum Quercus infectoriae Olivieri, arbusculae orientalis, Cynipis Quercus folii Linn. punctura producti.

Globuli verrucoso-echinati saepe foramine praediti, subpedunculati, duri, e flavescente cinerei, sapore austero, principium adstringens et acidum gallicum continentes. Praeferantur ponderosiores.

Gentiana rubra. Radix. *Rothe Enzianwurzel.*

Gentiana lutea Linn. Planta perennis alpium Helvetiae.

Radix crassitie pollicis, aut paullo majore, parum ramosa, in trunco annulata radiculis vix ullis, in ramis rugose striata, extus e rubro fusca, intus praesertim madefacta e flavo rubicunda, cortice cras-

siusculo, ligno crasso spongioso, saporis intense amari. Occurrunt quoque radices similis formae, crassitie digiti, coloris pallidioris ab aliis speciebus Gentianae affinibus desumptae non rejiciendae, sed maxime cave, ne radices Veratri albi immixtae sint.

Geoffroea surinamensis. Cortex. *Geoffröenrinde.*

Geoffroea surinameneis Linn. Arbor in America meridionali frequens.

Cortex crassus, externe, ubi subinde lichenibus cinereis tegitur, e fusco nigricans, interne fibrosus, subfuscus, saporis amaricantis austeri.

Glycyrrhiza echinata. Radix. *Süſsholzwurzel.*

Glycyrrhiza echinata Linn. Planta perennis Russiae meridionalis.

Radix magna, cortice deglupta, flavescens, dulcis. Radicem glycyrrhizae glabrae crassitie longe superat.

Glycyrrhiza glabra. Radix. *Süſsholzwurzel.*

Glycyrrhiza glabra Linn. Planta perennis Europae meridionalis.

Radix praelonga, cylindrica, lignosa, crassitie digiti, etiam pollicis, extus e cinereo nigricans, intus flava, saporis dulcis. Radici Glycyrrhizae echinatae praeferenda est.

Glycyrrhiza. Succus crudus. *Succus Liquiritiae crudus. Roher Lakritzensaft.*

Paratur extractione radicum Glycyrrhizae glabrae Linn. in Europa meridionali.

Extractum compactum, in cylindros formatum, nigrum, fractura nitens, saepissime foliis lauri obvolutum, saporis dulcis subacris, in aqua, relictis heterogeneis, solubile. Rejiciatur succus adustus et cupro inquinatus, quod visu aut lamina ferri polita cuprum separante dignoscitur.

Gramen. Radix. *Queckenwurzel. Päden.*

Triticum repens Linn. Gramen perenne ad agros Germaniae frequens.

Radix (stolo) praelonga, teres, tenuis, nodosa, ad nodos radiculis obsita, fistulosa, albida, saporis dulcis. Colligenda sero auctumno aut vere.

Granatum. Cortex Pomi. *Malicorium. Granatäpfelschale.*

Punica Granatum Linn. Arbor orientalis, nec non Europae meridionalis, praesertim in Hispania frequens.

Cortex fructus e fusco lutescens, coriaceus, superne calycis rudimento coronatus et hians, inodorus, saporis amaricantis valde adstringentis.

Granatum. Flores. *Balaustia. Granatblumen.*

Calyces quinquefidi, coriacei, rubri, petala coccinea sustinentes, principio adstringente praediti.

Gratiola. Herba. *Gottesgnadenkraut.*

Gratiola officinalis Linn. Planta perennis pratensis et riparia.

Herba florens amara, acris, caule tetragono, foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, serratis, glabris, corollis ringentibus, subalbidis. Colligenda mense Iunio et Iulio. Caute serva.

Dosis ad Scrupulum.

Guajacum. Lignum. Lignum sanctum. *Guajakholz. Franzosenholz.*

Guajacum officinale Linn. Arbor Indiae occidentalis.

Lignum ponderosum, compactum, e viridi cinereum, saporis acris, odoris balsamici haud ingrati. Rasura, quae vulgo prostat, partibus albidis, a libro ortis, non nimis mixta sit.

Guajacum. Resina nativa. *Guajakharz.*

Succus aëre induratus Guajaci officinalis Linn., vel sponte, vel ex arbore vulnerata exsudans.

Resina in frustis difformibus, e fusco viridescens, splendens, subdiaphana, friabilis, trita coloris al-

bidi, saporis e dulci amari acris, prunis injecta odorem spargens haud ingratum. Genuina, cum gummi mimosae et aqua trita, aëri exposita, caesio colore tingitur.

Gutti seu Gummi Guttae. *Gummigutt.*

Succus aëre induratus Garciniae Cambogiae Roxb., arboris Indiae orientalis, sauciatae.

Gummi-resina compacta, fragilis, fractura nitens, opaca, colore e fusco lutea, tritura citrina, madefacta laete flava, odore nullo, sapore ex acri subdulci. In aqua tota fere solvitur solutione turbida, in alcohole partim solutione limpida.

Dosis ad Grana quinque.

Gypsum. *Gyps.*

Minerale in variis regionibus obvium.

Lapis albidus, igne fatiscens, in aqua difficillime solubilis, cum acidis non effervescens, maxima ex parte e calcaria sulphurica constans.

Hedera terrestris. Herba. *Gundermannkraut.*

Glechoma hederaceum Linn. Planta perennis in Germania frequentissima.

Herba florens foliis oppositis, petiolatis, reniformibus, crenatis, hirsutiusculis, sapore amaricante subaromatico. Colligenda mense Aprili et Majo.

Helenium seu Enula. Radix. *Alantwurzel.*

Inula Helenium Linn. Planta perennis Germaniae et Helvetiae.

Radix extus e luteo cinerea, intus alba, folliculis resina ut videtur fusca nitida repletis, cortice tenui, ligno spongioso duro, saporis ex acri amaricantis, odoris aromatici. Prostat saepissime mundata et longitudinaliter secta. Colligenda autumno aut vere.

Helleborus albus. Radix. *Weiſse Nieswurzel.*

Veratrum album Linn. Planta perennis alpina Helvetiae et Germaniae meridionalis.

Radix (rhizoma) cylindrica, extus nigrescens, e radiculis resectis cicatrisata, intus alba, saporis acerrimi urentis, trita sternutationem vehementer excitans, venenosa. Caute secundum leges serva.

Dosis: ad Granum unum.

Helleborus niger. Radix. *Schwarze Nieswurzel.*

Helleborus niger Linn. Planta perennis Helvetiae et Germaniae meridionalis.

Radix (rhizoma) brevis, crassiuscula, tuberculata, radiculis copiosis praelongis, versus basin lineam fere crassis, epidermide fusco-nigrescente, cortice crassiusculo albo, ligno tenui e fasciculis composito.

Confunditur cum variis aliis radicibus, longitudine et crassitie nec non copia radicularum et sapore haud acri dignoscenda. Caute servanda.

Dosis ad Scrupulum dimidium.

Helmintochortos. *Wurmmoos.*

Variae Ceramii Agardh. et Hutchinsiae ej. species, inter quas interdum Sphaerococcus Helmintochortos Agardh., in mari mediterraneo ad littus Corsicae frequentes.

Algae ex flavo subfuscae, pollicares, compositae e filis tenuissimis, ramosis, tenacibus, sapore subsalso et odore marino.

Hippocastanum. Cortex. *Roſskastanienrinde.*

Aesculus Hippocastanum Linn. Arbor Persiae borealis, nunc in Germania vulgaris.

Cortex ramorum non nimis vetustorum, epidermide laevi, e rubro fusca, intus lutescens, sapore amaro adstringente. Colligatur vere.

Hirudo. *Blutegel.*

Hirudo medicinalis Linn. Cuv. Animal ex ordine Annelidarum, in Germaniae paludibus frequens.

Animal vivum cylindricum, dorso fuscum, lineis flavis sex notatum, intermediis maculatis, subtus cinereum maculis nigris.

Hordeum. Malthum. *Gerstenmalz.*

Variae Hordei Linn. species cultae.

Hordeum. Semen excorticatum. *Gerstengraupen.*

Hydrargyrum seu Mercurius vivus. *Quecksilber.*

In officinis metallariis e mineris propriis destillatione obtinetur, praecipue ex Idria adfertur.

Metallum liquidum album, p. sp. 13,5 volatile. Plerumque plumbo aliisque metallis inquinatum prostat.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum venale. *Mercurius sublimatus corrosivus venalis. Bichloretum Hydrargyri venale. Käufliches ätzendes salzsaures Quecksilber. Käufliches Quecksilbersublimat.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex hydrargyro, acido sulphurico, et natro muriatico.

Sal crystallinus, cohaerens, ponderosus, in aquae partibus sedecim, alcoholis duabus cum dimidia et aetheris sulphurici tribus solubilis, in igne avolans; summe venenosus. Constat ex hydrargyro et chloro. Ad praeparata hydrargyri tantum adhibeatur. Caute secundum leges serva.

Hydrargyrum oxydatum rubrum venale. *Mercurius praecipitatus ruber venalis. Oxydum hydrargyricum venale. Käufliches rothes Quecksilberoxyd. Käufliches rothes Quecksilberpräcipitat.*

Praeparatum officinarum chemicarum ex hydrargyro et acido nitrico.

Pulvis in particulis squamiformibus splendentibus ruberrimis, ex hydrargyro et oxygenio constans, acido nitrico plerumque mixtus. Cave, ne minio et laterum pulvere inquinatus sit in igne non avolantibus. Caute secundum leges serva.

Hyoscyamus. Folia. *Bilsenkraut.*

Hyoscyamus niger Linn. Planta biennis, in ruderatis et ad vias frequens.

Folia semiamplexicaulia, sinuata, villosa, pallide virescentia, odore nauseoso narcotico. Colligantur cum planta florere incipit, et ultra annum haud serventur. *Dosis ad Grana tria.*

Hyssopus. Herba. *Ysopkraut.*

Hyssopus officinalis Linn. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis.

Herba aromatica, caule quadrangulari, foliis oppositis, lanceolatis, sessilibus, integerrimis, glabris, calycibus quinquedentatis, corollis subringentibus coeruleis, staminibus distantibus. Colligenda mense Majo.

Jalapa. Radix. *Jalapenwurzel.*

Convolvulus Jalapa Linn. seu *Ipomoea Jalapa Michaux. Planta perennis Mexicana.*

Radices tuberosae, compactae, ponderosae, extus fuscae, rugis nigricantibus, vel integrae vel in taleolas dissectae, ex annulis concentricis compositae, punctis lineisque nitidis fuscis, sapore acri-nauseoso. Cave ne resina extracta sit.

Ichthyocolla seu Colla Piscium. *Hausenblase.*

Ex intestinis, praesertim e vesica natatoria Acipenseris Sturionis, aut stellati, aut Husonis Linn., maris Caspii incolarum, paratur.

Lamellae tenues, convolutae, aut planae, diaphanae, albidae, tenaces, in aqua et spiritu vini dilutiori fere solubiles.

Imperatoria. Radix. *Meisterwurzel.*

Imperatoria Ostruthium Linn. Planta perennis montana Germaniae australis.

Radix elongata, nodoso-annulata, compressa, extus e luteo nigrescens, intus albida, folliculis sub epidermide conspicua, odoris gravis, saporis ex acri aromatici. Colligenda sero auctumno aut vere.

Ipecacuanha. Radix. *Brechwurzel.*

Cephaëlis Ipecacuanha Willd. Planta perennis Brasiliae.

Radix cylindrica, ramosa, tenuis, flexuosa, verrucis eminentibus inaequalibus numerosis. Constat ex epidermide nigrescente, e cortice albicante, nitente, fragili, amaro et acri-nauseoso, atque ex parte interiori lignea, subflavescente, insipida. Pulvis in vasis bene clausis, nec nimis diu servetur.

Dosis ad Drachmam dimidiam.

Iris Florentina. Radix. *Florentinische Veilchenwurzel.*

Iris Florentina Linn. Planta perennis Italiae.

Radix (stolo) nodosa, compacta, crassitie pollicis, post resectum corticem cum radiculis alba, punctis subfuscis notata, odore violarum.

Juglans. Nuces. *Wallnüsse.*

Juglans regia Linn. Arbor in Persia et India orientali indigena, in Germania culta.

Nuces rancidae rejiciantur.

Juglans. Nucis cortex viridis. *Grüne Wallnufsschale.*

Cortex non nisi recens sumatur.

Juglans. Nuces immaturae. *Unreife Wallnüsse.*

Nuces recentes colligantur dum acu perforari possunt.

Juniperus. Baccae. *Wachholderbeeren.*

Juniperus communis Linn. Arbor aut frutex Europae borealis.

Fructus baccati nigri, globosi, superne punctis tribus elevatis sulcisque notati, pulpam exsuccam subamaro-dulcem et oleum aethereum graveolens continentes. Colligendi auctumno; nimis vetusti rejiciendi.

Juniperus. Lignum. *Wachholderholz.*

Lignum albidum, tenax, grave, cortice orbatum, resinosum, suffitu odoratum.

Kali carbonicum crudum seu Cineres clavellati. *Carbonas kalicus crudus. Rohe Pottasche.*

Paratur e cineribus lignorum per elixivationem, liquoris salini inspissationem et residui ustionem.

Sal compactus in aëre deliquescens, albidus, saporis lixiviosi, cum acidis effervescens. Constat e kali et acido carbonico cum kali sulphurico, nec non kali muriatico et oxydis metallicis mixtis.

Kali ferruginoso-hydrocyanicum seu Kali zooticum aut borussicum venale. *Cyanetum Kalii et Ferri venale. Käufliches blausaures Eisenkali.*

Praeparatur in officinis chemicis ustione corporum animalium cum kali carbonico et ferro.

Crystalli cohaerentes, flavae, sapore subdulci, in aquae partibus quatuor, in alcohole minime solvendae, e kali, ferro et cyano constantes. Eligantur majores a kali sulphurico et aliis heterogeneis plane liberae.

Kali muriaticum oxygenatum seu Kali oxymuriaticum aut Kali chloricum venale. *Chloras kalicus venalis. Käufliches oxydirtes salzsaures Kali.*

Praeparatur in officinis chemicis, e gase solutione kali carbonici excepto.

Sal in crystallis squamosis, albis, splendentibus, in aquae sedecim partibus solvendis, cum materiis combustibilibus calefactus aut tritus detonans. Constat e kali et acido chlorico, kali muriatico plus minusve mixtis.

Kali nitricum crudum seu Nitrum crudum. *Nitras kalicus crudus. Roher Salpeter.*

In India orientali reperitur nativum et paratur in officinis nitrariis nostris elixivando terras in stabulis effossas, aliasque illo praegnantes.

Sal in crystallis parvis, prismaticis, albidis, humescentibus, in aquae quatuor partibus solubilis, prunis injectis detonans. Constat e kali et acido nitrico, variis heterogeneis, praesertim natro muriatico mixtis.

Kali sulphuricum crudum. *Arcanum duplicatum* aut *Tartarus vitriolatus crudus. Sulphas kalicus crudus. Rohes schwefelsaures Kali.*

Praeparatur in officinis chemicis e residuis destillationis acidi nitrici.

Sal in crystallis cohaerentibus, albis, prismaticis, apice acuminatis, sapore amaricante, in aquae sedecim partibus solvendis, in aëre non humescentibus nec fatiscentibus. Constat e kali et acido sulphurico, saepe calcaria sulphurica mixtus. Rejiciatur quod metallis, praecipue zinco et cupro, inquinatum est. Illud praecipitatione liquore natri carbonici et solutione in liquore ammonii caustici, hoc eodem modo et tum colore coeruleo dignoscitur.

Kino. *Kino.*

Succus aëre induratus arboris ignotae ex India orientali allatus.

Frusta parva, angulata, friabilia, ex rubro nigra, tritura rubra, splendentia, opaca, saporis adstringentis, salivam colore rubro tingentia, in aqua et spiritu vini solubilia.

Lac. Saccharum. *Milchzucker.*

Paratur e sero lactis dulci evaporatione et crystallisatione in Helvetia.

Compactum, crystallinum, album, durum, subdulce, in aquae octo partibus, in spiritu vini bulliente non solubile.

Lactuca virosa. Herba. *Giftlattigkraut.*

Lactuca virosa Linn. Planta annua in Europa meridionali spontanea, apud nos in hortis culta.

Herba lactescens, foliis sessilibus, oblongis, integris, interdum sinu uno alterove excisis, margine et carina aculeatis, glabris. Colligatur ante florescentiam, nec nisi recens adhibeatur. Cave ne commutetur cum herba Lactucae Scariolae, cujus folia semper sinuato-pinnatifida sunt. Deficiente planta spontanea cultam adhibere licet.

Lapathum acutum. Radix. *Grindwurzel.*

Rumex obtusifolius Linn. Planta perennis Europae.

Radix elongata, parum ramosa, superne pollicem crassa, radiculis paucis, extus rubro-fusca, intus flavescens, ligno duro, medulla e caule transiente, fatiscente, saporis amari acriusculi, salivam colore croceo imbuens.

Larix. Boletus. *Agaricum. Lerchenschwamm.*

Boletus Laricis Jacquini. In truncis senescentibus Pini Laricis Linn. Europae australis obvius.

Fungus pileo laterali, tubulis subtilissimis instructus, stratis sibi impositis, extus cinereus, intus albus, levis, fragilis, saporis subdulcis amaricantis acris. Siccatus et decorticatus prostat.

Lauro-Cerasus. Folia. *Kirschlorbeerblätter.*

Prunus Lauro-Cerasus Linn. Arbor Orientis sempervirens, in hortis culta.

Folia late lanceolata, nitida, coriacea, serrulata, subtus ad costam glandulis duabus impressis, acido hydrocyanico summe deleterio dotata. Non nisi recentia adhibeantur. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Laurus. Baccae. *Lorbeeren.*

Laurus nobilis Linn. Arbor Europae meridionalis.

Semina subglobosa, nigricantia, rugosa, testa facile separabili, nucleo fuscescente, duro, bipartibili, odoris aromatici.

Laurus. Oleum. *Oleum laurinum. Lorbeeröl.*

Paratur e fructibus recentibus Lauri nobilis Linn. coctione et expressione in Europa meridionali.

Oleum aethereo-unguinosum, spissum, granulatum, e flavo viride, odoris laurini, in aethere sulphurico totum, in spiritu vini pro parte aetherea praesertim solubile.

Lavandula. Flores. *Lavendelblumen. Spieke.*

Lavandula Spica Linn. Fruticulus Europae australis, apud nos in hortis cultus.

Corollae cylindricae, coeruleae, cum calycibus similiter cylindricis, quadridentatis, odoris aromatici gratissimi.

Lavandula. Oleum. *Lavendelöl.*

Destillatione ex herba florente Lavandulae Spicae Linn. in Gallia meridionali praesertim paratur.

Oleum aethereum, e virenti flavescens, fragrans, p. sp. = 0,877.

Ledum palustre. Herba. *Wilder Rosmarin. Porsch. Porst.*

Ledum palustre Linn. Fruticulus in caespitosis et uliginosis Germaniae frequens.

Herba caule superne fusco tomentoso, foliis lineari-lanceolatis, margine revolutis, superficie superiore glabra, rugosa, saturate viridi, inferiore tomentosa, fusca, sapore amaro adstringente, odore gravi. Colligatur mense Majo et Iunio.

Levisticum. Radix. *Liebstöckelwurzel.*

Ligusticum Levisticum Linn. Planta perennis Germaniae australis, in hortis culta.

Radix cylindrica, compressa, extus in fuscum vergens, intus albida, saporis atque odoris aromatici, subnauseosi. Colligatur vere.

Lichen Islandicus. *Isländisches Moos (Flechte).*

Cetraria Islandica Acharii. In montibus Silesiae, Thuringiae, Hercyniae aliisque locis montosis Europae borealis frequens.

Lichen adscendens, laciniatus, laciniis linearibus, multifidis, canaliculatis, dentato-ciliatis, olivaceo-castaneus, basi sanguinolentus, amarus, mucilaginosus.

Lignum campechianum. *Campecheholz. Blauholz.*

Haematoxylon campechianum Linn. Arbor Americae calidioris.

Lignum durum, ponderosum, e flavo rubrum, saporis subadstringentis, subdulcis. Charta bibula decocto ligni humectata addito liquore cupri sulphurici coerulescit.

Linum. Oleum. *Leinöl.*

Expressione paratur e seminibus Lini usitatissimi Linn., plantae annuae sativae Europae.

Oleum unguinosum, fusco-flavum, p. sp. = 0,930 — 0,940. Cave ne rancidum sit.

Linum. Semen. *Leinsamen.*

Semina ovata, compressa, glaberrima, nitentia, fusca.

Lithargyrum. *Oxydum plumbicum. Bleiglätte.*

Saepissime in depuratione argenti obtinetur.

Squamulae e rubro flavae, nitidae, ponderosae, e plumbo et oxygenio constantes. Cupro non sit inquinatum, quod in solutione acido nitrico facta addito liquore ammonii caustici, ita ut praevaleat, colore coeruleo dignoscitur, ideoque Silesiacum praeferendum.

Lupulus. Strobili. *Hopfen.*

Humulus Lupulus foemina Linn. Planta perennis in Germania spontanea et culta.

Strobili e fusco lutei, squamis membranaceis, materia granulosa, resinosa, viscosa inspersis, saporis amari non ingrati, odoris aromatici.

Lycopodium. Semen. *Bärlappsamen. Streupulver.*

Lycopodium clavatum Linn. Filix in sylvis Germaniae frequens.

Pulvis subtilissimus flavescens, aquam respuens, flamma admota fulgurans, semina plantae sistens. Ne commutetur cum polline pinorum aliarumque arborum, qui facilius in glomerulos coit.

Macis. *Muskatenblüthe.*

Myristica moschata Linn. Arbor insularum Moluccarum.

Arilli laceri nucis moschatae, coloris e cinnamomeo fusci, odoris et saporis valde aromatici, fragrantis, grati.

Macis. Oleum. *Muskatenblüthöl.*

Destillatione e macide in India orientali paratur.

Oleum aethereum, spissiusculum, flavescens, fragrans, odore Macidis, p. sp. = 0,948.

Magnesia carbonica venalis. *Carbonas magnesicus cum aqua ven. Käufliche kohlensaure Bittererde. Magnesia.*

Praeparatur in officinis chemicis e magnesia sulphurica.

Sal terram referens, cohaerens, valde friabilis, inquinans, levissimus, albus, in aqua fere indissolubilis, e magnesia et acido carbonico constans. Sit pura nec inquinata calcaria carbonica, quae liquore kali oxalici e solutione magnesiae in acido nitrico praecipitari potest. Kali aut natrum carbonicum magnesiae carbonicae admixta, dignoscuntur infusione aquae ferventis, quae kali aut natrum carbonicum praesertim solvit, evaporatione, et iterata solutione in aquae parva copia.

Magnesia sulphurica cruda seu Sal amarus crudus. *Sulphas magnesicus cum aqua crudus. Rohe schwefelsaure Bittererde oder rohes Bittersalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum nec non salinarum e lixivio salis communis.

Sal in crystallulis prismaticis, splendentibus, albis, in aquae duabus partibus solubilibus, in aëre parum fatiscentibus, saporis amari, e magnesia, acido sulphurico et aqua constans. Rejiciatur cupro et ferro inquinatus, colore dignoscendus. Qui magnesia muriatica mixtus est, aëri expositus humidus fit.

Majorana. Herba. *Majoran.*

Origanum Majorana Linn. Planta annua Europae meridionalis et Orientis in hortis culta.

Herba aromatica, caule quadrangulari, foliis oppositis, breviter petiolatis, ovatis, obtusis, integerrimis, tenui-tomentosis, parvis, spicis subglobosis, bracteis subrotundis tomentosis. Colligenda mense Iulio.

Malva. Folia. *Pappelkraut. Käsepappelkraut.*

Malva rotundifolia Linn. Planta perennis in ruderatis Germaniae frequentissima.

Folia longe petiolata, cordata orbiculata, subquinqueloba, lobis rotundatis, acute crenatis, pilosiuscula, mucilaginea. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Malva arborea. Flores. *Stockrosen. Rosenpappelblumen.*

Althaea rosea Cavanilles. Planta biennis orientalis in hortis Germaniae frequenter culta.

Flores mucilagine praediti, corollis plerumque atrofuscis, pentapetalis, pagina interiore cum staminum columna connatis, 2 poll. fere longis, calyce duplici tomentoso, exteriore multipartito, interiore quinquefido.

Malva vulgaris. Flores. *Malvenblumen.*

Malva sylvestris Linn. Planta perennis Germaniae in ruderatis frequens.

Flores mucilaginei, calyce duplici, exteriore triphyllo, corollis pentapetalis, pagina interiore cum staminum columna connatis, fere pollicem longis, coerulescentibus, venosis.

Manganum oxydatum nativum. *Manganesium. Superoxydum manganicum. Graubraunsteinerz. Braunstein.*

Minerale e metallifodinis effossum.

Lapis compactus et radiosus, subsplendens, e cinereo niger, valde inquinans, ponderosus, e mangano et oxygenio, quod, in vase clauso ignitus, in forma gasis copiose largitur, et variis heterogeneis terreis, praesertim calcaria carbonica mixtus.

Manna. *Manna.*

Succus e cortice sauciato **Fraxini rotundifoliae Aitoni**, *arboris in Calabria et Sicilia frequentis, stillans, induratus.*

Glebae grumosae albae et ex albo lutescentes, (aut frustula canaliculata, alba), friabiles, calore manus emolliendae et subviscidae, in aquae partibus tribus, in spiritu vini partim solvendae, saporis dulcis, odoris mellei. Praeferenda manna electa dicta seu cannulata in frustulis plerumque canaliculatis obvia. Sit corporibus heterogeneis non nimis inquinata, solutione in aqua dignoscendis.

Marrubium. Herba. *Weiſser Andorn.*

Marrubium vulgare Linn. Planta perennis in ruderatis Germaniae frequens.

Herba florens, caule quadrangulari dense tomentoso, foliis oppositis, inferioribus petiolatis, superioribus subsessilibus, ovalibus et subrotundis, basi attenuatis, crenatis, magis minusve tomentosis, floribus verticillatis, calycibus decemfidis dentibus apice reflexis. Colligenda mense Iulio et Augusto.

Marum verum. Herba. *Amberkraut. Katzenkraut.*

Teucrium Marum Linn. Fruticulus in Oriente sponte crescens, in Europa meridionali cultus.

Herba florens aromatica, fragrans, caule quadrangulari, foliis oppositis, oblongis et lanceolatis, breviter petiolatis, integerrimis, margine inflexis, parvis, una cum petiolis et ramulis tomento albo superinductis, floribus racemosis purpureis. Colligenda aestate.

Mastiche. *Mastix.*

Succus Pistaciae Lentisci Linn., fruticis insularum Archipelagi, condensatus.

Resina in frustulis subglobosis, parvis, subpellucidis, splendentibus, tritura pulverulenta impolita, coloris ex albido citrini, sub masticatione tenacibus, prunis injectis suaveolentibus, in spiritu vini pro maxima parte solubilibus.

Matricaria. Herba. *Mutterkraut.*

Pyrethrum Parthenium Smith. Planta perennis Germaniae.

Herba florens, floribus compositis radiatis, disco flavo, radio albo, foliis alternis bipinnatifidis, pinnis antice confluentibus, oblongis, pinnatifidis, incisis, hirtis, caule angulato, saporis amari et aromatici. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Mel. *Honig.*

Humor excretus Apis mellificae Linn. e floribus collectus.

Liquidum spissiusculum, albo-flavescens, magis minusve in fuscum vergens colorem, recens aequabile, vetustum granuloso-crystallinum, saporis dulcis, odoris peculiaris. Saepe farina adulteratum est, quae solutione in aqua non bulliente remanet non soluta. Species sunt:

Mel album seu virgineum, (*weifser Honig, Jungfernhonig,*) quod sponte e favis apium effluit;

Mel commune seu flavum, (*gemeiner Honig,*) quod calore et pressione e favis elicitur.

Melilotus citrina. Herba cum flore. *Melilotenkraut mit Blumen. Steinkleekraut mit Blumen.*

Melilotus officinalis Willd. Planta annua per totam Germaniam frequens.

Rami florentes, foliis ternatis, foliolis oblongis, serrulatis, stipulis subulatis, floribus racemosis, corollis papilionaceis flavis, carina et alis longitudine vexilli, odorem proprium subdulcem, gravem spirantibus. Colligantur mense Iulio.

Melissa seu Melissa citrata. Herba. *Melisse. Citronenmelisse.*

Melissa officinalis Linn. Planta perennis Europae meridionalis in hortis culta.

Herba aromatica, odoris citrei, caule quadrangulari, foliis oppositis, petiolatis, inferioribus cordatis, superioribus ovalibus, crenato-serratis, hirtis. Colligenda mense Iunio. Nepeta Cataria citrata Linn. praesertim differt foliis subtus albo-tomentosis.

Mentha crispa. Herba. *Krausemünze.*

Mentha crispa Linn. Planta perennis Europae australis orientalis in hortis culta.

Herba aromatica et amaricans, graveolens, caule quadrangulari, foliis oppositis, breviter petiolatis, cordatis et ovatis, rugosis, undulatis, dentatis, dentibus productis, glabriusculis, floribus capitatis. Colligenda cum florere incipit. Rejiciatur Mentha crispata Willd. simillima foliis longioribus, ovato-oblongis, spica (si adest) longissima nec brevis capitata.

Mentha piperita. Herba. *Pfeffermünze.*

Mentha piperita Linn. Planta perennis Angliae apud nos in hortis culta.

Herba caule quadrangulari, foliis oppositis, petiolatis, oblongis, acutis, argute serratis, supra glabris, nervis subtus hirsutiusculis, odoris fragrantis, saporis aromatici et camphoracei cum sensu frigoris in ore. Colligenda mense Iunio.

Mentha piperita. Oleum. *Pfeffermünzöl.*

Paratur destillatione e herba Menthae piperitae Linn.

Oleum aethereum album aut flavescens, odoris fragrantissimi, in lingua sensum frigoris excitans, p. sp. = 0,920. Praestat ex Anglia allatum.

Mezereum. Cortex. *Seidelbastrinde.*

Daphne Mezereum Linn. Frutex in Germania frequens.

Cortex in frustis elongatis, tenuibus, tenacissimis, epidermide e virescenti fusca, cortice exteriore tenui, albido, interiore fibroso, flavescente, superficie interna polita peracris. Colligatur vere.

Millefolium. Flores. *Schafgarbenblumen.*

Achillea Millefolium Linn. Planta perennis Germaniae frequentissima.

Flores compositi albi vel rubicundi, ligulis brevibus latissimis, saporis amari subacris, odoris subaromatici. Colligendi mense Iunio.

Millefolium. Herba. *Schafgarbenkraut.*

Herba amara et aromatica, caule angulato, foliis bipinnatis, laciniis linearibus, setula terminatis, hirtis. Colligenda mense Iunio.

Mimosa. Gummi. Gummi Arabicum. *Mimosengummi. Arabisches Gummi.*

Succus aëre condensatus Acaciae tortilis et Sayal Forsk. aliarumque hujus generis specierum, in variis Africae regionibus sponte crescentium.

Gummi in frustis saepe globosis, albicantibus aut flavescentibus, nitentibus, diffractis vitreo splendore conspicuis, pellucidis, saporis fatui, odoris nullius. Genuinum cum partibus sex octove aquae solutionem perfecte fluidam praebet.

Minium. *Superoxydum plumbosum. Mennige.*

Praeparatum officinarum chemicarum ustione plumbi oxydulati flavi.

Pulvis coloris ex aurantiaco rubri, ponderosus, e plumbo et oxygenio constans. Sit purum, nec cu-

pro inquinatum, quod liquore ammonii caustici, nec lateribus, quod tubo ferruminatorio exploratur.

Morus. Fructus. *Maulbeeren.*

Morus nigra Linn. Arbor in Europa culta e Persia oriunda.

Fructus recentes baccati, bacca composita, nigri, succo atropurpureo dulci repleti.

Moschus. *Bisam. Moschus.*

Folliculi Moschi moschiferi Linn., animalis alpium Asiae mediae, prope genitalia maris positi, siccati.

Substantia animalis, unctuosa, granula referens e fusco nigricantia, trita in stratum tenue extenuandum, hinc inde punctis micantibus, saporis amaricantis, odoris peculiaris, fragrantissimi, diu persistentis, secreta in contextu celluloso folliculi globosi, altera parte convexi, altera concavi, pilis obsiti, saepe ductu excretorio praediti.

Eligendus est Moschus Tunquinensis, e regno Tibetano et Chinensi allatus, cujus folliculi magnitudine ovi gallinacei et minore, extus pilis brevibus, rigidis, plerumque subfuscis, obsiti, intus membranula fusca tenera vestiti. Plane rejiciatur moschus Cabardinicus in folliculis majoribus inclusus, magnitudinem ovi gallinacei superantibus, semper pilis longioribus albo-cinereis obsitis, nec non moschus ex vesicis dictus, folliculis exemtus.

Myrrha. *Myrrhe.*

Succus aëre condensatus Amyris Kataf Forsk. arboris in Aegypto superiore et Nubia indigenae.

Gummi-resina in frustis nucis avellanae et juglandis magnitudine, friabilis, levis, subpellucida, fusco-rubra, subinde maculis parvis albis immixtis, pingui-nitens, saporis amari et aromatici, odoris aromatici non ingrati. Calore non liquetur sed statim deflagrat. In aqua fere tota solutione flavo-fusca turbida, in alcohole partim solutione flavo-fusca limpida solvitur. Cum variis resinis nec non gummi arabici frustis mixta occurrit.

Natrum carbonicum crudum seu Sal Sodae crudum seu Alkali minerale crudum. *Carbonas natricus cum aqua crudus. Rohes kohlensaures Natron oder rohes Sodasalz oder rohes mineralisches Laugensalz.*

In officinis chemicis e natro sulphurico ustione cum carbonibus et calcaria usta, tum elixivatione et crystallisatione residui paratur.

Sal in frustis crystallinis, albis, pellucidis, in aëre fatiscentibus, saporis lixiviosi refrigerantis, in aquae partibus duabus solvendis, e natro, acido carbonico et magna copia aquae constans, saepissime natro sulphurico nec non natro muriatico et natro hydrosulphurato immixtis. Hoc odore, praesertim acido sulphurico aut alio affuso, illa praecipitatione ope

liquoris barytae muriaticae et argenti nitrici, si natrum antea acido nitrico neutralisatum fuerit, explorantur. Rejiciatur metallis inquinatum, post neutralisationem acido nitrico, aqua hydrosulphurata et liquore kali ferro-hydrocyanici dignoscendum.

Natrum muriaticum seu Sal culinare. *Chloretum Natrii. Salzsaures Natron oder Küchensalz.*

Paratur in officinis salinis nostris per evaporationem muriae.

Crystallula cubica, plerumque pyramidas cavas constituentia, alba, diaphana, in aquae partibus tribus solvenda, in igne decrepitantia. Constat natrum muriaticum e natrio et chloro saepe magnesia muriatica et calcaria sulphurica immixtis. Aëri expositum non nimis humescat, nec pauca aqua solutum nimiam copiam corporum heterogeneorum demittat.

Natrum sulphuricum crudum seu Sal mirabile Glauberi crudum. *Sulphas natricus cum aqua crudus. Rohes schwefelsaures Natron oder rohes Glaubersalz.*

Paratur in officinis chemicis e residuis destillationis acidi muriatici nec non coctionis natri muriatici.

Sal in frustis crystallinis, pellucidis, in aëre fatiscentibus, albis, in aquae tribus fere partibus sol-

vendis, sapore amaricante refrigerante. Constat e natro, acido sulphurico et aqua, saepissime calcaria sulphurica et natro muriatico immixtis. Hoc liquore argenti sulphurici, illa liquore kali carbonici exploratur. Rejiciatur quod metallis inquinatum est, aqua hydrosulphurata et liquore kali ferro-hydrocyanici dignoscendum.

Nicotiana. Folia. *Tabaksblätter.*

Nicotiana Tabacum Linn. Planta annua Americae meridionalis, apud nos culta.

Folia sessilia oblongo-lanceolata, basi attenuata, integerrima, magna, fusca, odoris subnauseosi, saporis acris. Adhibeantur folia, quae vulgo Virginiana dicuntur.

Nitri spiritus fumans. *Acidum nitroso-nitricum. Rauchender Salpetergeist. Salpetrige Salpetersäure. Rauchendes Scheidewasser.*

Paratur in officinis chemicis destillatione kali nitrici, acido sulphurico concentrato mixti.

Liquor aurantiacus, aëre fumum rubrum suffocantem exhalans, summe causticus, ex acido nitrico concentratissimo et acido nitroso, nec non muriatico mixtus. Serva caute in vase vitreo operculo vitreo munito.

Nuces vomicae. *Krähenaugen.*

Strychnos Nux Vomica Linn. Arbor Zeylanica et Malabarica.

Semina orbiculata, depressa, umbonata, tenacissima, intus fusca seu nigrescentia, villis e cinereo argenteis splendentibus obsita, magna, saporis summe amari. Caute servanda.

Dosis ad Grana sex.

Nucista. Oleum. *Muskatöl. Muskatbalsam.*

Paratur expressione e nucleis Myristicae moschatae Linn. in India orientali.

Oleum aethereo-unguinosum, compactum, e fusco et albo variegatum, aqua levius, fragrans, in aethere fervente sulphurico solubile solutione pellucida. Cave, ne sit sevo adulteratum, quod in aethere sulphurico solutum turbidam reddet solutionem.

Nux moschata. *Muskatnuſs.*

Myristica moschata Linn.

Nuclei oleosi, subglobosi, ponderosi, gyrose sulcati, extus cinerei, intus e fusco et rubenti colore variegati, saporis aromatici suavis, odoris fragrantis. Rejiciantur vermibus exesi.

Oleum animale foetidum. *Oleum Cornu Cervi. Stinkendes Thieröl. Hirschhornöl.*

Paratur in officinis chemicis e variis animalium partibus destillatione sicca.

Oleum empyreumaticum, spissiusculum, e fusco nigrum, opacum, odore foetidissimo. Sit consistentia non nimis spissa.

Olibanum seu Thus. *Weihrauch.*

Succus aëre induratus Boswelliae serratae Colebrooki, arboris Indiae orientalis.

Resina in frustulis et granulis, albido-lutescentibus, vix nitentibus, pulvere quasi inspersis, fragilibus, saporis subamaricantis, odoris dum accenditur fragrantis. In spiritu vini rectificatissimo pro maxima parte solvitur.

Olivae. Oleum. *Olivenöl. Baumöl.*

Ex Oleae Europaeae Linn., arboris Europae meridionalis, fructibus expressione paratur.

Oleum unguinosum, flavescens, aut virescens, p. sp. $= 0,915$. Calore infra $0°$ in massam granuloso-crystallinam abit. Oleum e provincia Narbonensi allatum (*Provencer Oel* dictum), album aut subflavescens, odoris et saporis expers, ad usum internum et ubi praeceptum fuerit, adhibeatur. Cave ab oleo, plumbo oxydato, acido sulphurico et oleis alienis, inquinato.

Ononis. Radix. *Hauhechelwurzel.*

Ononis spinosa Linn. Planta perennis ad vias frequens.

Radix longa, crassitie digiti minoris et ultra, sublignosa, extus grisea, intus fuscescens, tenax, saporis subacris. Colligenda vere.

Opium. *Opium. Mohnsaft.*

Paratur e capsulis immaturis Papaveris somniferi Linn., plantae annuae in Oriente et Aegypto cultae.

Extractum spissum in glebis aut placentis, fuscum, opacum, parum nitens, tenax, intus mollius et digitis adhaerens, siccatum tritura flavum, saporis amari, odoris nauseosi, in aqua majori ex parte solubile solutione limpida, seminibus et foliis Rumicis saepissime cinctum, valde venenosum. Cave ne Opium corporibus heterogeneis nimis mixtum sit. Caute secundum leges serva.

Dosis ad Granum unum.

Origanum creticum. Herba. *Spanischer Hopfen.*

Origanum creticum Linn. Planta perennis in insulis Archipelagi spontanea.

Spicae oblongae, 4–5 lin. longae, tetragonae, bracteis imbricatis rotundato-acutis, scabris, pilis brevibus ciliatae, e viridi subfuscae, saporis acris aromatici, stipitibus nec non spicis aliarum origani specierum mixtae.

Origanum creticum. Oleum. *Spanisch-Hopfenöl.*

E spicis Origani cretici Linn. aliarumque Origani specierum in Europa australi destillatione paratur.

Oleum aethereum, rufum, odoris gravis, saporis aromatici urentis.

Origanum vulgare. Herba. *Gemeiner Dost. Wohlgemuth. Dostenkraut.*

Origanum vulgare Linn. Planta perennis Germaniae.

Herba florens aromatica, caule quadrangulari rubente, foliis oppositis, ovatis, breviter petiolatis, subserratis, hirtis, floribus capitatis, bracteis ovalibus, glabris saepe rubentibus, calyce longioribus. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Ova gallinacea. *Hühnereier.*

Phasianus Gallus foemina Linn.

Paeonia. Radix. *Päonienwurzel.*

Paeonia officinalis Linn. Planta perennis alpestris meridionalis Europae.

Radix tuberosa; tubera subglobosa, oblonga, subcylindrica, crassitie digiti minoris ad pollicis usque, extus e rubro fusca, intus albida, sapore fatuo vix amaricante, plerumque glupta et longitudinaliter dissecta prostantia. Colligatur vere.

Panis albus. Mica. *Semmel.*

Tritici Linn. var. spec.

Papaver. Capita. *Mohnköpfe.*

Papaver somniferum Linn. Planta orientalis apud nos culta.

Capsulae immaturae, nucis juglandis magnitudine et ultra, cum seminibus siccatae. Ne ultra annum serventur.

Papaver. Oleum. *Mohnöl.*

Paratur apud nos e seminibus Papaveris somniferi Linn. expressione.

Oleum unguinosum, flavescens, sapore dulci, odoris fere expers, p. sp. = 0,929. Cave ne fulvum et rancidum sit, nec acido sulphurico, nec plumbi oxydo inquinatum.

Papaver. Semina. *Mohnsamen.*

Papaver somniferum var. seminibus albis Linn.

Semina globosa, subrugosa, parva, alba, saporis dulcis.

Passulae majores et minores. *Grosse und kleine Rosinen.*

Vitis vinifera Linn.

Petroleum seu Oleum Petrae. *Steinöl.*

Bitumen liquidum in Oriente et variis Europae locis e terra saxorumque rimis profluens.

Liquor flavus aut rubescens, limpidus, sapore et odore bituminoso, plane volatilis, igne deflagrans, in oleis, nequaquam in spiritu vini rectificatissimo, cui innatat, solubilis, p. sp. = 0,847 — 0,854. Cave ne petroleum sit oleo terebinthinae inquinatum, quod ex addito acido sulphurico concentrato rubescit et spissescit.

Petroselinum. Semen. *Petersiliensamen.*

Apium Petroselinum Linn. Planta biennis Europae australis, nobis hortensis.

Semina parva, ovalia, fructum subglobosum constituentia, virescentia, striata, odoris aromatici, saporis acris et aromatici.

Phellandrium seu Foeniculum aquaticum. Semen. *Wasserfenchelsamen.*

Phellandrium aquaticum Linn. Planta perennis palustris Germaniae.

Semina oblonga, striata, e viridi flava aut subfusca, interdum stylopodio et calycis dentibus 5 parvis persistentibus notata, graveolentia, saporis subnauseosi. Ne commutentur cum seminibus Sii latifolii et Cicutae virosae Linn., a quibus praesertim colore, tum sapore et odore, differunt. Ne ultra annum serventur.

Phosphorus. *Phosphor.*

In officinis chemicis destillatione sicca acidi phosphorici carbonibus mixti paratur.

Substantia compacta, lenta, tenax, recens flava, subpellucida, tempore superficie alba pulverulenta obducta, loco obscuro lucens, temperatura media in aëre fumum album alliaceum spargens, temperatura 28 – 30° liquescens et 58 – 60° flammam concipiens, in bacillis plerumque venalis, sub aqua caute servanda.

Dosis: ad Granum dimidium in solutione.

Pimpinella. Radix. *Pimpinellwurzel. Bibernellwurzel.*

Pimpinella Saxifraga Linn. Planta perennis in locis siccis Germaniae.

Radix subcylindrica, subramosa, crassitie digiti, superne annulata, extus e fusco cinerea, intus albida fusco punctata, ligno spongioso, medio saepe cavo a medulla intrante, saporis acris pungentis. Colligenda vere.

Pinus. Resina Burgundica. *Burgundisches Harz.*

Paratur e variis Pini speciebus arboribus Europae liquatione resinae ex ipsa sponte stillantis.

Resina e rufo flava, diaphana, fractura nitente, friabilis.

Pinus. Resina pini empyreumatica solida. *Pix navalis. Schiffspech.*

Paratur evaporatione picis liquidae nigrae e Pino sylvestri Linn. arbore Europae borealis.

Resina in frustis atris fractura nitidis, frigidis fragilibus, calore manus emolliendis.

Pinus. Turiones. *Fichtensprossen.*

Pinus sylvestris Linn.

Gemmae foliaceae, cylindricae, squamis scariosis obsitae, longitudinem duorum pollicum non excedentes.

Piper album. *Weifser Pfeffer.*

Piper nigrum Linn. Frutex Indiae orientalis.

Baccae maturae, globosae, cortice exteriore liberatae, hinc laeves, albae, durae, minus acres quam sequentes.

Piper nigrum. *Schwarzer Pfeffer.*

Baccae immaturae, siccatae, globosae, cortice exteriore nigro rugoso vestitae, intus albae, durae, sapore acri, odoris aromatici.

Plantago major. Folia. *Wegerichblätter.*

Plantago major Linn. Planta perennis ad vias in Europa boreali frequens.

Folia ovata, basi in petiolum attenuata, margine denticulis raris, septemnervia, leviter pubescentia, subcoriacea. Recentia tantum sumantur.

Plumbum aceticum crudum. *Saccharum Saturni. Acetas plumbicus crudus. Rohes essigsaures Blei. Roher Bleizucker.*

Praeparatum officinarum chemicarum e plumbo oxydato et aceto destillato.

Sal in crystallis minutis, prismaticis, saepissime cohaerentibus, albis, saporis dulcis, subadstringentis, in aquae duabus partibus nec non in alcohole solvendis, e plumbo oxydato et acido acetico constans. Caute serva in vasis clausis.

Dosis pro usu interno: ad grana duo.

Polygala amara. Herba. *Bittere Kreuzblume.*

Polygala amara Linn. et apud nos P. amarella Reichenb. Planta perennis montana Germaniae et Sueciae.

Herba florens cum radicibus fibrosis, radiculis tenuibus lutescentibus, caulibus pluribus, superne ramosis, 3-4 poll. altis, foliis radicalibus spathulatis plurimis in orbem digestis, caulinis lanceolatis brevibus, floribus parvis coerulescentibus, sapore e subamaro subdulci. Cave ne cum aliis Polygalae speciebus confundas, quae huic saepe substituuntur. Colligenda mense Majo.

Poma acidula. *Säuerliche Aepfel.*

Pyrus malus Linn. Arbor Europae in hortis culta.

Praestant quae vulgo Rostockiensia vocantur.

Prunus. Pulpa cruda. *Rohes Pflaumenmufs.*

Prunus domestica Linn. Arbor Europae culta.

Psyllium. Semina. *Flöhsamen.*

Plantago Cynops Linn. Suffrutex Europae australis et Plantago arenaria Waldst. Kit. Planta annua Germaniae orientalis et Hungariae.

Semina exigua, ovali-oblonga, saepe hinc concava, illinc convexa, e nigro fusca, nitentia, multa mucilagine, quam aquae impertiunt, cincta.

Pyrethrum. Radix. *Bertramwurzel.*

Anthemis Pyrethrum Linn. Anacyclus Pyrethrum Lk. Planta perennis Africae borealis, nec non Europae meridionalis, et Anacyclus officinarum Hayn. Planta annua incertae originis apud nos culta.

Radix prioris cylindrica, simplex, crassa, crassitie 5-6 lin., ligno praesertim crasso spongioso, posterioris cylindrica, simplex, tenuis, crassitie 2-3 lin., petiolis residuis comata, utraque sapore acerrimo salivam provocante. Olim prior usitata erat, nunc posterior multo frequentior in officinis est.

Quassia. Cortex. *Quassienrinde.*

Quassia amara Linn.

Cortex tenuis, fragilis, extus cinerascens rugulosa, intus ex albo griseus, peramarus.

Quassia. Lignum. *Quassienholz. Bitterholz.*

Quassia amara Linn. Arbor Surinami et Quassia excelsa Wright. Arbor Indiae occidentalis.

Lignum albicans, leve, inodorum, saporis amarissimi, in fustibus a Quassia amara, in frustis maioribus a Quassia excelsa oriundis, a ligno rhois metopii fraudulenter substituto, cuius decoctum ex affuso liquore ferri sulphurici oxydati nigrescit, bene distinguendum.

Quercus. Cortex. *Eichenrinde.*

Quercus Robur et Q. pedunculata Willd. Arbores Germaniae indigenae.

Cortex ramulorum juniorum, tenuis, extus e fusco griseus, intus fuscescens, amarus adstringens. Colligatur vere.

Quercus. Glandes. *Eicheln.*

Fructus maturi absque cupulis.

Rheum. Radix. *Rhabarberwurzel.*

Species Rhei, nondum certo cognita imperii Chinensis.

Radix compacta, sub dentibus stridens, plerumque in taleolas saepissime foratas dissecta, ponderosa, extus resecto cortice lutea, intus e roseo et albo variegata, salivam flavedine tingens, sapore et odore specifico nauseoso.

Rhododendron chrysanthum. Folia. *Sibirische Schneerosenblätter.*

Rhododendron chrysanthum Pallas. Frutex Sibiriae orientalis.

Folia oblonga, acuta, margine reflexa, juniora subtus colore ferrugineo imbuta, adulta subtus viridia, saporis amari et adstringentis.

Rhoeas. Flores. *Klatschrosen. Feldmohnblumenblätter.*

Papaver Rhoeas Linn. Planta annua, inter segetes Germaniae frequentissima.

Petala magna, ultra pollicem transversum longa, basi attenuata, subundulata, purpurea, sapore mucilaginoso, odoris subnarcotici. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Ribes rubrum. Baccae. *Johannisbeeren.*

Ribes rubrum Linn. Frutex Germaniae in hortis cultus.

Baccae globosae, rubrae, nitidae, seminibus pluribus nidulantibus, succo acido grato turgentes.

Ricinus. Oleum. *Ricinusöl.*

Paratur expressione e seminibus variarum Ricini specierum, in India occidentali.

Oleum unguinosum, spissiusculum, album aut subflavum, in spiritu vini alcoholisato solubile, inodorum, sapore miti non acri. P. sp. = 0, 954.

Rosa incarnata. Flores. *Fleischfarbene Rosenblumenblätter.*

Rosa centifolia Linn. Frutex in hortis frequens.

Petala pallide rubentia, odoris gratissimi.

Rosa rubra. Flores. *Rothe Rosenblumenblätter. Essigrosen. Damascener Rosen.*

Rosa gallica Linn. Frutex Galliae meridionalis, apud nos hortensis.

Petala e fusco rubentia, sapore adstringente.

Rosmarinus. Herba. *Rosmarinkraut.*

Rosmarinus officinalis Linn. Frutex Europae meridionalis.

Folia brevissime petiolata, linearia, acuta, rugosa, margine reflexa, aromatica, acria.

Rosmarinus. Oleum. *Rosmarinöl.*

Destillatum ex herba florente.

Oleum aethereum e virescenti albidum, graveolens. P. sp. = 0,905.

Rubia. Radix. *Färberröthe. Krappwurzel.*

Rubia tinctorum Linn. Planta perennis Orientis in Europa frequenter culta.

Radix cylindrica, tenuis, ramosa, extus e rubro fusca, intus cortice obscure rufo, ligno pallidiore, medio interdum cavo a medulla intrante, salivam rubro colore tingens. Colligenda autumno.

Rubus fruticosus. Baccae. *Brombeeren.*

Rubus fruticosus Linn. Frutex in sylvis Europae frequens.

Baccae recentes compositae, nigrae, succo sature purpureo, acidiusculo, repletae.

Rubus Idaeus. Baccae. *Himbeeren.*

Rubus Idaeus Linn. Frutex Germaniae, in hortis cultus.

Baccae recentes compositae, rubentes, succo subacidulo grato, odore suavissimo.

Ruta. Herba. *Raute. Gartenraute.*

Ruta graveolens Linn. Fruticulus Europae meridionalis nobis hortensis.

Herba amaro-acris, graveolens, e viridi subcoerulescens, foliis supradecompositis, laciniis ultimis cuneiformibus glandulosis. Colligenda Majo et Iunio.

Sabadilla. Semen. *Sabadillsamen.*

Veratrum Sabadilla Retzii. Planta perennis Chinensis.

Semina elongata, teretia, acuta, e fusco nigra, saepissime capsula membranacea flavescenti inclusa, quarum ternae appositae, saporis acerrimi et nauseam moventis.

Sabina. Herba. *Sadebaumkraut.*

Juniperus Sabina Linn. Frutex Europae australis sempervirens, nobis hortensis.

Summitates ramorum, ramulis coarctatis, non patentibus, foliis oppositis, seu ternis brevissimis acutis, erectis, decurrentibus, saporis acris, odoris gravissimi. Colligenda vere.

Saccharum. *Zucker.*

Paratur e succo Sacchari officinarum Linn. plantae inter tropicos frequenter cultae.

Compactum crystallinum, album, friabile, dulce, in aquae dimidia parte et in alcohole fervido solubile. Hujus species sunt: Saccharum albissimum vulgo *Raffinade* dictum, magis purum et Saccharum album, vulgo *Melis* dictum, minus purum.

Sagapenum. *Sagapen.*

Succus aëre condensatus plantae ferulaceae ignotae orientalis.

Gummi-resina in frustis plerumque e granis cohaerentibus, extus ex albido fuscescentibus, intus albo et luteo variegatis, manus calore emolliendis, tenacibus, pinguibus, odoris suballiacei, saporis amari subacris.

Sago. *Sago.*

Sagus Rumphii Willd.

Salep. Radix. *Salepwurzel.*

Orchidis species ignotae. Plantae perennes Orientis.

Tubera ovato-oblonga, subdiaphana, dura, ponderosa, e lutescente cinerea, simplicia, rarius palmata, pulverata aqua fervida infusa massam valde gelatinosam referentia.

Salix. Cortex. *Weidenrinde.*

Salix pentandra et fragilis Linn. Arbores in Germania, praesertim boreali, frequentes.

Cortex ramorum biennium et triennium tenuis, flexilis, extrorsum fuscus, laevis, nitidus, intus lutescens, sapore adstringente amaro haud ingrato. Colligatur vere.

Salvia. Herba. *Salveikraut.*

Salvia officinalis Linn. Fruticulus Europae meridionalis.

Herba amara et aromatica, subadstringens, foliis oppositis, petiolatis, lanceolatis, obtusis, integris, crenulatis, rugosis, subvillosis. Colligenda aestate.

Sambucus. Flores. *Fliederblumen, Hollunderblumen.*

Sambucus nigra Linn. Arbor per totam Germaniam frequentissima.

Cymae florentes, corollis albis, monopetalis, quinquelobis, calyce minimo quinquedentato, odorem subnarcoticum non ingratum exhalantes, tempestate sicca colligendae.

Sambucus. Succus baccarum inspissatus crudus. Roob Sambuci. *Fliedermuſs.*

Paratur apud nos inspissatione succi baccarum Sambuci nigrae Linn.

Extractum spissum, colore nigrescente, sapore acidulo subdulci. Cave ne succus sit saporis empyreumatici, nec nimis acidus, nec cupro inquinatus, quod ferro nitido detegitur.

Sandaraca. *Sandarach.*

Succus aëre condensatus Thujae articulatae Vahlii, arboris Africae borealis.

Resina in granis subglobosis et oblongis, ex albido citrinis, superficie opacis, intus subpellucidis, friabilibus, masticatis non lentescentibus, odoris dum accenduntur suavis, in spiritu vini rectificatissimo fere ex toto, in oleo terebinthinae ex parte solubilibus.

Sanguis Draconis. *Drachenblut.*

Colligitur e variis arboribus Indiae orientalis, praesertim e Calamo Dracone Willd.

Resina atropurpurea, opaca, nitida, tritura impolita ruberrima, saporis adstringentis, rubedine inficiens. Rejiciatur, quae in placentis prostat et sumatur in globulos cylindrosve formata, foliis aridis obvoluta.

Santalum rubrum. Lignum. *Rothes Sandelholz.*

Santalum album Linn. Arbor Indiae orientalis.

Ligni frusta rubra, extus saepe coloris obscurioris, sapore blando adstringente. Praeferatur colore floride rubro et rejiciatur scobs heterogeneis inquinata.

Sapo domesticus. *Hausseife.*

Sapo Hispanicus albus. *Weiſse Spanische Seife.*

Paratur e natro et oleo olivarum in officinis chemicis Galliae australis et Hispaniae.

Compactus mollis, albus, lubricus, in spiritu vini rectificato ex toto solubilis, in aqua solutione tur-

bida spumosa, e materiis supra dictis constans. Sit odoris rancidi expers, semper siccus et facile pulverandus.

Saponaria. Radix. *Seifenkrautwurzel.*

Saponaria officinalis Linn. Planta perennis Germaniae.

Radix (rhizoma) elongata, cylindrica, ad 2 lin. crassa, tuberculis oppositis ex initiis ramorum, ad tubercula fibris obsita, epidermide e rufo fusca, cortice exteriore tenui, ligno similiter tenui, utroque albido, medulla crassiore. Ne commutetur cum radice Euphorbiae Cyparissiae sat simili, at defectu tuberculorum oppositorum distinguenda. A radice Lychnis dioicae tota abhorret forma.

Sarsaparilla. Radix. *Sarsaparillwurzel.*

Smilax syphilitica Humboldt. aliaeque species Smilacis in America meridionali.

Radix cylindrica, simplex, praelonga, crassitie calami scriptorii, flexilis, longitudinaliter rugosa, epidermide fusca, cortice tenui fusco, ligno subspongioso albo, saporis fatui.

Sassafras. Lignum. *Sassafrasholz, Fenchelholz.*

Laurus Sassafras Linn. Frutex Pensylvaniae, Carolinae, Virginiae et Floridae.

Radix magna ramosa, in frustis majoribus minoribusve venalis, epidermide e griseo ferruginea, rugosa, cortice exteriore rubiginoso, interiore fibroso, ligno spongioso ex annulis compacto, extrorsum fuscis, introrsum pallidioribus, levibus, saporis subdulcis, odoris foeniculacei.

Scammonium Halepense. *Aleppisches Scammonium.*

Succus aëre condensatus Convolvuli Scammoniae Linn.? plantae perennis orientalis, praesertim in Syria frequentis.

Gummi-resina, in frustis cinereis, levibus, porosis, opacis, impolitis, fractura parum nitentibus, aridis nec pinguibus, madefactis e virescenti lactescentibus, saporis acris urentis. In aqua partim solutione virescente turbida, in spiritu vini rectificatissimo partim limpida solvitur. Rejiciatur, quae in placentis nigricantibus prostat.

Dosis ad grana sex.

Scilla. Radix seu Bulbus. *Meerzwiebel.*

Scilla maritima Linn. Planta perennis in Europa meridionali frequens.

Bulbi squamae albidae basi subinde rubentes, ad 2 poll. longae lataeque, 1-2 lin. crassae, saporis peramari. Prostant quoque bulbi integri non siccati, epidermide e fusco rubente tunicati, succo mucilagineo peracri turgidi.

Dosis ad grana quatuor.

S c o r d i u m. H e r b a. *Lachenknoblauchkraut.*

Teucrium Scordium Linn. Planta perennis Germaniae.

Herba amara, odoris suballiacei, foliis oppositis, oblongis, sessilibus, grosse serratis, hirtis. Colligenda mense Iunio.

S e b u m o v i l l u m. *Hammeltalg.*

Ovis Aries Linn.

S e n e g a. R a d i x. *Senegawurzel.*

Polygala Senega Linn. Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae.

Radix subcylindrica, subramosa, superne tuberculata, flexuosa, in curvaturis carina notata, epidermide lutescente-fusca, cortice intus et ligno albidis, saporis acris pungentis.

S e n n a. F o l i a. *Sennesblätter.*

Cassia lanceolata Forsk. et Nectoux. Planta Nubiae et Cassia obtusata Hayn. (C. Senna Jacq.) planta Aegypti superioris.

Foliola oblonga, obtusa, mucronulata, margine inflexo, venosa, subtus praesertim pubescentia, pallida, et foliola obovata, obtusa seu retusa, brevissime mucronulata, non emarginata, subtus praesertim pubescentia, saporis subacris amaricantis subnauseosi. Ra-

rius immixta sunt folia Cynanchi Argel Delil. majora, lanceolata, acuta, inaequilatera, pubescentia.

Serpentaria Virginiana. Radix. *Virginische Schlangenwurzel.*

Aristolochia Serpentaria Linn. Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix fibrosa, capite (rhizomate) brevi, flexuosissimo, tuberculato, (ex initiis ramorum,) radiculis longis, tenuissimis, copiosis, intricatis, e fusco lutescentibus, saporis acris aromatici, odoris fragrantis camphoracei.

Serpyllum. Herba. *Feldkümmelkraut. Quendel.*

Thymus Serpyllum Linn. Fruticulus Europaeus, in apricis frequentissimus.

Herba amara et aromatica, fragrans, caule prostrato, foliis parvis, oppositis, breviter petiolatis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis purpurascentibus. Colligenda mense Iunio et Iulio. Varietas aut species foliis lanceolatis ejusdem virtutis est.

Siliqua dulcis. *Johannisbrod.*

Ceratonia Siliqua Linn. Arbor in Oriente et Europa meridionali frequens.

Legumen coriaceum, compressum, spadiceum, longitudine quatuor vel quinque pollicum et ultra, pulpa sicca, dulci, seminibus interjacente repleta.

Simaruba. Cortex. *Simarubarinde. Ruhrrinde.*

Quassia Simaruba Linn. Simaruba officinalis De Candoll. Arbor Americana in Gujana frequentissima.

Cortex radicis, in frustis longis, tenacibus, 2 lin. crassis, epidermide e rufo lutescente, cortice exteriore tenuissimo, interiore crassissimo, toto fibroso, fibris tenuibus, facile separandis, lutescentibus, peramarus.

Sinapis. Semen. *Schwarzer Senfsame.*

Sinapis nigra Linn. Planta annua Europae ibique culta.

Semina exigua, globosa, fusca, peracria. Ne commutentur cum seminibus Brassicarum, quae majora et minus acria sunt.

Spongia marina. *Meerschwamm. Badeschwamm.*

Spongia officinalis Linn. Zoophytum maris mediterranei et maris rubri.

E fibris tenuissimis tota contexta, porosa, sublutescens, levis, mollis, elastica, fluidorum bibula, lapillis et aliis corporibus heterogeneis saepe intextis. Spongia in frustis minoribus, colore fusco, poris majoribus, Spongia equorum dicta, ad carbonem spongiae parandum sufficit.

Stannum. *Zinn.*

Paratur e mineris Stanni praecipue in Anglia et India orientali.

Metallum album, ductile, flectione stridens, fractura uncinatum, nitens, in igne facile liquescens, acido muriatico solutum addito liquore auri muriatici praecipitatum purpureum efficiens. P. spec. = fere 7, 3. Praestat Malaccense. Rejiciatur cupro et nimia copia arsenici inquinatum; illud in solutione ope liquoris kali ferruginoso-hydrocyanici, hoc odore si tubi ferruminatorii flammae exponitur dignosci potest.

Stibium venale. *Regulus Antimonii. Käufliches Spiefsglanz.*

E stibio sulphurato nigro crudo addito ferro in officinis metallariis liquatione paratur.

Metallum e coerulescente album, fragile, lamellosum, nitens, in aëre ignitum fumo albo avolans. P. spec. = fere 6, 8. Tubo ferruminatorio in carbone exploratum odorem alliaceum non spargat, arsenici, nec fumum rubentem, plumbi nimiam copiam indicantem.

Stibium sulphuratum nigrum crudum, seu Antimonium crudum. *Sulphuretum Stibii nigrum crudum. Rohes Schwefelspiefsglanz.*

Eliquatur e mineris stibii sulphurati.

Compactum radiosum, radiis fasciculatis parallelis latiusculis, nigrum, metallice splendens, tritura inquinans, ponderosum, in igne facile liquescens et volatile. Ad Stibium parandum adhibetur.

Stramonium. Herba. *Stechapfelkraut.*

Datura Stramonium Linn. Planta annua ex India orientali oriunda, nunc ad sepes, vias et in ruderatis Germaniae frequens.

Plantae virulentae folia magna, petiolata, ovata, dentato-sinuata, glabra, intense viridia, odoris nauseosi narcotici. Colligenda mense Iunio et Iulio. Caute serva nec ultra annum.

Stramonium. Semen. *Stechapfelsamen.*

Semina extus nigra, intus alba, reniformia, subrugosa, summe narcotica, caute servanda.
Dosis utriusque ad granum unum.

Styrax liquidus. *Flüssiger Storax.*

Succus e ramis Liquidambaris Styracifluae Linn., arboris Americae septentrionalis eliquatus.

Balsamum nativum spissum, e viridi fuscum, opacum, graveolens, saporis aromatico-acris.

Succinum. *Bernstein.*

Bitumen in oris maris Baltici, praesertim Borussiae frequens.

Frustula pellucida, rarius opaca, nitentia, fragilia, citrina, aut e flavo fusca, carbonibus imposita gratum odorem spargentia.

Succinum. Oleum crudum. *Rohes Bernsteinöl.*

Paratur in officinis chemicis destillatione sicca succini.

Oleum empyreumaticum, spissiusculum, fuscum, odore bituminoso. Addito acido nitrico concentrato incalescit, saepe inflammatur et relinquit massam moschum quodammodo redolentem. Ne sit oleo Terebinthinae inquinatum. P. spec. = 0, 886.

Sulphur citrinum seu in baculis. *Gelber oder Stangen-Schwefel.*

Eliquatur e mineris sulphur continentibus in variis locis.

Materia inflammabilis in cylindros formata, friabilis, colore citrino, odore suffocante et flamma coerulea comburens.

Sulphur. Flores. *Schwefelblumen.*

Praeparantur in officinis chemicis e sulphure, aut e mineris sulphur continentibus, sublimatione.

Pulvis subtilissimus coloris citrini, igne flamma coerulea comburens et gas sulphurosum suffocans evolvens. Non elotus acido sulphurico adhaerente plerumque inquinatur. Cave ne sulphur sit arsenico nec selenio inquinatum, colore ad aurantiacum vergente conspicuum.

Syrupus communis. *Gemeiner Syrup.*

Obtinetur in sacchari depuratione.

Liquor spissus consistentiae extracti tenuioris, colore e fusco nigro, saporis dulcis. Ne sit cupro, nec aliis heterogeneis inquinatus.

Tacamahaca. *Takamahak.*

Succus aëre induratus arboris ignotae Americanae.

Resina in frustulis e fusco flavis, saepe albo maculatis, fragilibus, fractura nitidis, superficie pulvere albo inspersa, igne facile liquandis et suaveolentibus.

Tamarindi seu Fructus Tamarindorum. *Tamarinden.*

Tamarindus Indica Linn. Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Pulpa leguminum e nigro fusca, seminibus interjacentibus, filamentis lignosis pertexta, saporis acidi grati. Rejiciatur Americana, sapore acerbo et colore fusco distinguenda, nec non subdulcis, mucida, fermentatione corrupta et seminibus emollitis referta, nimis fluida siccave. Cave ne sit cupro inquinata.

Tanacetum. Flores. *Rainfarrnblumen.*

Tanacetum vulgare Linn. Planta perennis, ad vias et inter segetes frequens.

Flores compositi hemisphaerici, calyce imbricato, flosculis tubulosis, quinquedentatis, flavis, sapore amaro et odore aromatico.

Tanacetum. Herba. *Rainfarrnkraut.*

Herba amaro-aromatica, foliis pinnatis, pinnis lanceolato-linearibus, inciso-serratis. Colligenda mense Iulio.

Tanacetum. Oleum. *Rainfarrnöl.*

Destillatum ex herba florente Tanaceti vulgaris Linn.

Oleum aethereum flavescens, graveolens. P. spec. = 0,932.

Taraxacum. Herba. *Löwenzahnkraut.*

Leontodon Taraxacum Linn. Planta perennis in Germaniae pascuis frequentissima.

Herba amaricans, recens lactescens, foliis runcinatis, denticulatis, glabriusculis. Colligatur vere ante florescentiam.

Taraxacum. Radix. *Löwenzahnwurzel.*

Radix cylindrica subramosa, radiculis obsita, epidermide fere nigra, cortice albo spongioso, ligno te-

nui albente, medulla intrante lutescente, recens lactescens, saporis e dulci amaricantis, plerumque longitudinaliter dissecta. Primo vere cum herba juniori colligenda.

Tartarus crudus. *Bitartras kalicus cum aqua crudus. Roher Weinstein.*

Obtinetur e doliis, quae vino conservando inservierunt, praesertim in Gallia.

Sal compactus, crustaceus, crystallinus, albidus aut rubeus, acidus, e kali et acido tartarico praevalente, principio tinctorio aliisque heterogeneis immixtis constans.

Tartarus. Crystalli. *Bitartras kalicus cum aqua. Weinsteinkrystalle.*

Paratur in officinis chemicis depuratione tartari crudi in Europa meridionali.

Sal compactus, in crystallis duris, albis, saporis acidi, in aquae partibus 80-90 solubilibus, e kali et acido tartarico praevalente constans. Cave ne sit cupro inquinatus, colore virescente conspicuus.

Terebinthina cocta. *Gekochter Terpenthin.*

Residuum destillationis olei terebinthinae.

Resina friabilis, flavescens, tritura alba, plerumque torta, odore debili.

Terebinthina communis. *Gemeiner Terpenthin.*

Succus e trunco sauciato Pini sylvestris Linn. stillans.

Balsamum naturale fluidiusculum, tenax, sordide flavescens turbidum, odoris peculiaris, saporis amari et acris.

Terebinthina laricina seu Veneta. *Venedischer Terpenthin.*

Succus e Pino Larice Linn., arbore Europaea, stillans.

Balsamum naturale spissiusculum, tenax, pellucidum, flavescens, odoris peculiaris haud ingrati, saporis amari et acris.

Terebinthina. Oleum. *Terpenthinöl.*

Destillatum e terebinthina communi et laricina.

Oleum aethereum album, graveolens. P.sp.=0,810. Cave ne sit adulteratum oleo ex ligno et strobilis destillatum, odoris deterioris.

Thymus. Herba. *Thymiankraut.*

Thymus vulgaris. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Herba florens aromatica, caule erecto, ramoso, foliis oppositis, oblongis, ovatis, margine revolutis, punctatis, supra hirtulis, subtus candicantibus, floribus verticillato-spicatis, albis aut albo-purpureis. Colligenda mense Iunio et Iulio.

Thymus. Oleum. *Thymianöl.*

Destillatione e herba florente Thymi vulgaris Linn. obtinetur.

Oleum aethereum, rubescens, fragrans. P. spec. = 0,902.

Tormentilla. Radix. *Tormentillwurzel.*

Tormentilla erecta Linn., Planta perennis Europae.

Radix (rhizoma) cylindrica, superne digitum crassa, ultra duos pollices longa, tuberculata, dura, radiculis numerosis obsessa, epidermide e rubro fusca, cortice atropurpureo compacto, ligno et medulla dilute rubentibus, saporis peradstringentis. Colligatur vere.

Toxicodendron. Folia. *Giftsumachblätter.*

Rhus radicans Linn. Frutex Americae borealis, apud nos in hortis cultus.

Folia ternata, foliolis ovatis, acuminatis, repandis, subdentatis, basi inaequalibus, glabriusculis. Caute

nec manibus nudis colligenda mense Iunio et Iulio, et caute servanda. Rejiciantur exsiccatione nigrescentia.

Dosis: ad Grana duo.

Tragacantha. Gummi. *Traganth.*

Succus aëre induratus Astragali Linn. speciei cujusdam incognitae ex Asia minore.

Gummi in frustulis variae formae, saepe multifarie contortis, subdiaphanis, fractura nitentibus, albis et flavescentibus, inodoris, in aqua ad mucilaginem spissam intumescentibus, difficillime solvendis, saporis fatui.

Trifolium fibrinum seu aquaticum. Herba. *Fieberkleekraut. Bitterkleekraut.*

Menyanthes trifoliata Linn. Planta perennis palustris Germaniae.

Folia ternata, foliolis subsessilibus, oblongis, obtusis, leviter crenulatis, glabris, pallide viridibus, amara. Colligenda mense Majo et Iunio.

Ulmus. Cortex interior. *Innere Ulmenrinde. Rüsterrinde.*

Ulmus campestris Linn. et effusa Willd. Arbores Germaniae.

Cortex interior, e luteo subfuscus, laevis, tenuis, tenax, amaricans, e ramis non nimis tenuibus. Colligenda vere.

Uva ursi. Folia. *Bärentraubenblätter.*

Arbutus Uva ursi Linn. Fruticulus Germaniae sempervirens.

Folia breviter petiolata, obovata, integerrima, glabra, rigidiuscula, in pagina inferiore venis reticulata, saporis adstringentis. Ne commutentur cum foliis Vaccinii Vitis Idaeae pagina inferiore punctatis. Colligenda aestate.

Valeriana minor. Radix. *Baldrianwurzel.*

Valeriana officinalis Linn. Planta perennis Europae.

Radix (rhizoma) brevis, tuberculata, radiculas emittens copiosissimas, longas, tenues, semilineam crassas, contortas, epidermide fusco-nigrescente, cortice crassiusculo, quasi oleo imbuto, circa lignum fusco, ligno tenuissimo, albido, saporis amaro-acris, odoris gravis, subnauseosi. Colligenda vere antequam caules pronascuntur et cito siccanda. Rejicienda radix Valerianae Phu, rhizomate longiore, odoris minus fragrantis. Praestat Valeriana Anglica, fibris tenuioribus, brevioribus, odoris fortioris.

Vanilla. *Vanille.*

Vanilla aromatica Swartzii. Planta parasitica scandens Novae Hispaniae.

Capsulae immaturae compressae, longitudine sex fere pollicum, crassitie calami scriptorii, striatae, coloris e fusco atri, saepe crystallulis acidi benzoici inspersae, seminibus pulpam pinguem rufescentem referentibus fartae, odoris balsamici benzoini, saporis aromatici grati.

Verbascum. Flores. *Wollkrautblumen.*

Verbascum Thapsus Linn. et thapsiforme Schrad. Plantae biennes, in locis incultis frequentes.

Corollae monopetalae, quinquelobae, irregulares, magis minusve flavae, mucilagine refertae, odoris rosacei debilis, tempestate sicca cum calycibus colligendae et loco sicco cito siccandae servandaeque.

Verbascum. Herba. *Wollkraut.*

Folia oblonga, decurrentia, utrinque tomento denso, crasso, albo, molli, tecta. Colligenda aestate.

Veronica. Herba. *Ehrenpreiskraut.*

Veronica officinalis Linn. Planta perennis Germaniae.

Herba florens amaricans, caule procumbente, racemis axillaribus pedunculatis, corollis monopetalis, quadrilobis, coerulescentibus, foliis oppositis, ovatis, obtusis, crenatis, hirsutis. Colligenda vere et cito siccanda.

Vinum Gallicum. Spiritus. *Franzbrantwein.*

Paratur destillatione e vinis Gallicis et vinaceis fermentationi vinosae subjectis.

Liquor flavescens ex alcohole, aqua et principio quodam aethereo proprio constans. P. spec. = 0,940 – 0,950.

Vinum Gallicum. Spiritus fortior. *Sprit.*

Paratur destillatione cautius ac in praecedente instituta e vinis Gallicis.

Liquor coloris expers ex alcohole et aqua praecipue constans. P. spec. = 0,875 – 0,885.

Vinum Gallicum album. *Weifser Franzwein.*

Vinum Gallicum rubrum. *Rother Franzwein.*

Vinum Hispanicum seu Malacense. *Spanischer oder Mallagawein.*

Vinum Hungaricum. *Ungarwein.*

Vinum Rhenanum. *Rheinwein.*

Viola tricolor seu Jacea. Herba. *Freisamkraut. Stiefmütterchenkraut.*

Viola tricolor Linn. Planta annua in arenosis et hortis frequens.

Herba florens subacris, foliis alternis, ovatis et oblongis, obtusis, crenatis, stipulis pinnatifidis, corollis pentapetalis, labiosis, coerulescentibus aut flavis. Colligenda aestate.

Viola. Flores. *Veilchenblumen.*

Viola odorata Linn. Planta perennis sylvatica, in hortis frequenter culta.

Flores calyce calcarato, pentaphyllo, corollis pentapetalis, labiosis, intense coeruleis, odoris gratissimi.

Viscum album. *Mistel.*

Viscum album Linn. Fruticulus parasiticus Quercus, Fagi, Tiliae, Pini aliarumque arborum.

Ramuli juniores, dichotomi, ad exortum annulato-articulati, epidermide e viridi flavescente, una cum foliis oppositis, oblongis, obtusis, integerrimis, coriaceis, e flavo viridibus.

Vitriolum album. *Zincum sulphuricum venale. Sulphas zincicus venalis. Weifser Vitriol. Käufliches schwefelsaures Zink.*

Paratur in officinis metallariis e mineris Zinci.

Sal crystallinus, compactus, albus, saporis adstringentis metallici, in 2 - 3 partibus aquae solubilis, e

zinco oxydato et acido sulphurico constans, plerumque ferro et cupro inquinatus quod liquore kali ferruginoso-hydrocyanici et ammonii caustici dignoscitur. Rejiciatur, quod cupro inquinatum est.

Zedoaria. Radix. *Zittwerwurzel.*

Curcuma Zedoaria Roscoe, C. Zerumbet Roxburgh. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix (rhizoma), oblonga seu subconica, radiculis et epidermide plerumque resectis, ipsa longitudinaliter secta, compacta, extus e fusco cinerea, intus albida, folliculis parvis, resiniferis, saporis acris, amaricantis, odoris fragrantis, subcamphoracei. Habentur majores seu Zedoariae longae et minores seu Zedoariae rotundae.

Zincum. *Zink.*

Paratur e mineris Zinci carbonibus mixtis sublimatione in India orientali, Anglia et Silesia.

Metallum ex albido coerulescens, fractura lamellosum, fragile, calefactum malleo obediens, volatile. Ignitum sub aëris accessu flammam ex albo virescentem concipiens in oxydum, calens citrinum tunc album, mutatur. P. spec. = 6, 8 — 7, 1.

Zingiber. Radix. *Ingber. Ingwer.*

Zingiber officinarum Roscoe. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix (rhizoma) epidermide resecta aëre siccata compressa, torta, tuberculata, rugosa, compacta, ponderosa, extus ex albo cinerea, intus e rubenti alba, folliculis parvis resiniferis, saporis peracris, odoris aromatici.

SECTIO SECUNDA.

PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Acetum aromaticum.

R. Herbae Rorismarini,
Salviae,
Menthae piperitae, singularum uncias duas,
Caryophyllorum,
Radicis Zedoariae,
Angelicae, singularum unciam dimidiam,
Aceti cocti quantum satis.

Digere per triduum in vase clauso, tunc exprime ut sit colatura librarum sex. Serva in vasis bene obturatis.

Sit limpidum et coloris e rubro fusci.

Acetum concentratum.

R. Kali carbonici e cin. clav. uncias sedecim,
Aceti destillati quantum sufficit ad perfectam neutralisationem.

Evaporent ad uncias triginta sex, quibus in retortam vitream immissis, adde

Mangani oxydati nativi subtilissime triti uncias duas,
Acidi sulphurici crudi uncias duodecim,
Aquae fontanae unciis sex

dilutas. Retortae collum ablue

Aquae destillatae unciis duabus.

Adaptato recipiente et juncturis clausis fiat destillatio ad siccum. Si destillatum acido sulphuroso aut empyreumate scatet, super

Mangani oxydati nativi subtilissime triti uncia una,

si vero acido sulphurico, super

Kali acetici sufficiente quantitate

rectificetur. In vasis bene obturatis serva.

Sit limpidum, coloris expers, ab empyreumate liberum, nec acido sulphuroso nec sulphurico inquinatum, quod odore, aqua hydrosulphurata et liquore barytae nitricae dignoscitur. P. spec. = 1,035 — 1,045.

Acetum destillatum.

Acetum addita sedecima circiter parte carbonum pulveratorum destillet e retorta vitrea, aut e vesica destillatoria cuprea, stanno obducta munitaque capitello una cum tubo refrigeratorio e stanno puro parato. Rejiciatur pars sedecima primo prodiens et continuetur destillatio,

quamdiu acetum limpidum, coloris expers et ab empyreumate liberum obtinetur. In vasis bene clausis serva.

Unciae tres sufficiant ad neutralisationem drachmae unius kali carbonici e. T.

Acetum plumbicum.

(*Acetum saturninum. Liquor Plumbi acetici basici. Liquor Subacetatis plumbici.*)

(*Loco Extracti Saturni.*)

R. Plumbi acetici depurati uncias sex.

Misce exacte cum

Lithargyri laevigati unciis tribus.

In lagenula vitrea adde

Aquae destillatae uncias viginti et unam

et repone, vas subinde agitando, donec color ruber sedimenti plane evanuerit. Tum filtra et bene serva.

Solutio gummi mimosae addito liquore hocce turbetur. P. spec. = 1,230—1,240.

Acetum Rubi Idaei.

R. Baccarum recentium Rubi Idaei libram unam,

Aceti cocti libras duas.

Sepone in vase vitreo obturato donec liquor colore intense rubro imbutus fuerit, deinde cola et liquorem filtratum in lagenis repletis, bene clausis, non amplis serva.

Sit limpidum.

Acetum scilliticum.

R. Radicum Scillae siccatarum uncias duas.

Minutim scissae macerentur per triduum in

Aceti destillati ea quantitate

ut sit colatura post expressionem lenem unciarum octodecim. Caute serva.

Sit limpidum, e rubro flavum.

Acidum aceticum.

(*Alcohol Aceti.*)

R. Plumbi acetici crudi pulverati uncias sexaginta quatuor.

Immitte in retortam vitream tubulo instructam et applicato vase recipiente atque juncturis optime clausis per tubulum affunde sensim

Acidi sulphurici uncias octodecim,

Aquae communis unciis novem

dilutas. Tunc tubulo clauso ex arena calore sensim aucto fiat destillatio ad siccum. Liquorem obtentum, si empyreumate aut acido sulphuroso inquinatus sit, super

Mangani oxydati nativi subtilissime triti unciis duabus,

si acido sulphurico, super

Kali acetici uncia una,

si vero plumbum continet, per se rectifica, et in vasis bene obturatis serva.

Sit coloris expers, ab empyreumate, acido sulphurico, acido sulphuroso et plumbo, liberum, quod odore, liquore barytae nitricae et aqua hydrosulphurata cognoscitur. P. spec. = 1,050—1,060.

Acidum benzoicum.

(*Flores Benzoës.*)

R. Benzoës pulveratae uncias viginti quatuor,
Natri carbonici crudi triti uncias novem.

Misce cum

Aquae communis quantitate sufficiente

ad consistentiam pultis. Digere per horas viginti quatuor, massam subinde agitando, et aquam evaporatione diminutam restituendo, tum dilue

Aquae communis libris octodecim

et decoque ita, ut post colaturam supersint librae duodecim. Liquori huic decanthatione a resina separato admisce

Acidi sulphurici diluti quantum sufficit

ad neutralisationem natri carbonici excedentis.

Resinam inde elicitam filtratione separa et liquori evaporatione ad libras sex redacto adhuc calenti iterum adde

Acidi sulphurici diluti tantum

ut copia totius acidi, tam ad resinae quam ad acidi benzoici separationem adhibiti, sit unciarum viginti quatuor. Crystalli post repositionem vasis natae colando colligantur, tum liquor evaporet, ut aliae crystalli subsidant et ope-

ratio repetatur, quamdiu crystalli enascuntur. Crystallos squamiformes collectas aqua frigida sedulo ablue, sicca et serva.

Sint acido sulphurico et natro sulphurico non inquinatae, quod liquore barytae nitricae dignoscitur, colore non nimis flavescente, odore debili benzoës.

Acidum muriaticum.

(*Spiritus Salis acidus. Acidum hydrochloricum.*)

R. Natri muriatici libras sex.

In retortam vitream capacem immissis affunde

Acidi sulphurici crudi libras quatuor

caute antea dilutas

Aquae communis libris duabus.

Adaptato vase recipiente amplo, cui insunt

Aquae destillatae librae quatuor

et juncturis clausis, fiat destillatio, igne primum remissiori, sub finem aucto, ad siccum. Liquidum elicitum supra

Natri muriatici libra dimidia

rectifica, rejecto quod fumans primo prodit. Servetur in vasis epistomio vitreo munitis.

Parare quoque licet ex Acidi muriatici crudi coloris nec non acidi sulphurosi expertis partibus duodecim, rectificatione supra Natri muriatici parte una, rejiciendo simili modo quod fumans elicitur.

Cave ne acido sulphurico et sulphuroso, ferro et chloro inquinatum sit, quod liquore barytae nitricae, liquore kali

ferruginoso-hydrocyanici, colore flavo et odore cognoscitur. P. spec. = 1,110—1,120.

Acidum nitricum.

(*Spiritus Nitri acidus*)

R. Kali nitrici depurati pulverati libras octo.

In retortam vitream satis capacem immissis affunde

Acidi sulphurici crudi libras quatuor cum dimidia,
Aquae communis libris tribus

caute dilutas. Applicetur excipulum amplum, cui

Aquae destillatae librae quatuor

antea sunt immissae. Fiat destillatio ex arena, igne primum remissiori, sub finem pedetentim aucto, ad siccum. Acido elicito instilla

Liquorem Argenti nitrici

quamdiu inde fit turbidum, cavendo ne nimia copia liquoris argenti nitrici addatur. Seponatur per aliquot dies. Tum liquorem limpidum decantha, et e retorta, fere ad siccum destillando, rectifica. In vasis epistomio vitreo clausis serva.

Parare licet quoque ex Acido nitrico crudo acido sulphurico non inquinato, rectificatione, separata quantitate primo prodeunte, quae acido muriatico scatet.

Sit ab acido muriatico et sulphurico liberum, liquore argenti nitrici et barytae nitricae explorandum. P. spec. = 1,195—1,205.

Acidum phosphoricum depuratum.

R. Ossium quantum vis.

Ure ad albedinem et horum subtilissime pulveratorum libris quinque adde

Acidi sulphurici crudi libras tres
Aquae communis libris triginta

dilutas. Ebulliant leniter per horam in lebete stanneo, sub continua agitatione. Liquorem ope preli separatum, colatum et evaporatione ad syrupi spissitudinem redactum, cum

Spiritus Vini rectificatissimi duplo

misce et filtra. Tum, evaporatione a Spiritu Vini liberatum, diluendo Aqua destillata ad pondus specificum 1,125 — 1,135 redige. In vasis epistomio vitreo obturatis servetur.

Cave ne nimia copia acidi sulphurici immixta sit, liquore barytae nitricae, admixto acido nitrico, exploranda.

Acidum phosphoricum purum.

R. Acidi nitrici quantum placet.

In cucurbita vitrea ad lenem ebullitionem usque calefacto immitte sensim ac caute

Phosphori

frustula minora, granum unum alterumve non excedentia, quamdiu vapores rubri prodeunt. Liquidum remanens ad spissitudinem oleosam evaporet. Tunc Aquae destillatae ea

quantitate dilue, ut sit pondus specificum 1,25—1,135. In vasis epistomio vitreo munitis serva.

Cave ne acidum phosphorosum aut nitrosum immixtum sit, odore dignoscendum.

Acidum pyro-lignosum rectificatum.

Acidum pyro-lignosum crudum retortae vitreae immittatur et leni igne destillet, donec tres quadrantes eliciti fuerint. In vasis bene clausis serva.

Acidum succinicum depuratum.

(*Sal Succini depuratum.*)

Acidum succinicum crudum aqua destillata calida solvatur. Liquor per chartam bibulam filtretur, et post evaporationem sufficientem ad crystallisationem seponatur, quod repetatur, quamdiu crystalli inde non nimis flavescentes exoriuntur.

Sint crystalli tabulares coacervatae, in spiritu vini rectificatissimo solubiles, in igne plane volatiles.

Acidum sulphuricum rectificatum seu depuratum.

(*Acidum* s. *Oleum Vitrioli rectificatum* s. *depuratum.*)

Acidum sulphuricum crudum e retorta vitrea arenae balneo immissa prudenter rectifica, rejecta sedecima parte primo prodeunte. Acidum obtentum in vasis epistomio vitreo munitis serva.

Coloris sit expers. P. spec. = 1,840—1,850.

Acidum sulphuricum dilutum.

(*Spiritus Vitrioli.*)

R. Acidi sulphurici rectificati partem unam.

Instillando misce cum

Aquae destillatae partibus quinque.

Ad praeparata (nisi rectificatum expressis verbis indicatum fuerit) acidum sulphuricum crudum adhibere licet, sed a plumbo aliisque metallis nocivis omnino liberum.

Acidum tartaricum.

R. Concharum praeparatarum coctione probe depuratarum partem unam,

Aquae communis partes viginti;

ebulliant in lebete stanneo. Sensim immitte

Tartarum depuratum pulveratum

quamdiu effervescentia inde oritur. Vas ab igne remotum seponatur, ut calcaria tartarica subsidat. Liquori decanthato, kali tartaricum continenti, admisce

Calcariam muriaticam,

in Aquae destillatae quantitate sufficiente solutam, quamdiu praecipitatum enascitur. Calcariam tartaricam inde adhuc obtentam priori adde, aqua frigida ablue et sicca. Partibus hujus sedecim, quintuplo aquae destillatae calidae dilutis, adde

Acidi sulphurici crudi partes septem

Aquae destillatae duplo

antea dilutas. Bacillo vitreo saepius agitando per horas viginti quatuor digerantur. Liquorem acidum decantha, residuum exprime et aqua destillata ablue, donec plane insipida defluat. Liquores acidi commixti et colati post repositionem per aliquot horas, leni igne, in vase vitreo aut porcellaneo, ad syrupi tenuioris spissitudinem evaporent, tum per horas viginti quatuor sepositi denuo colentur et lenta evaporatione in crystallos redigantur, quae operatio repetatur quamdiu crystalli sat albae prodeunt. Crystalli omnes collectae et bene siccatae serventur.

Aether aceticus.

(*Naphtha Aceti.*)

R. Natri acetici blando calore exsiccati uncias duodecim.

In retortam vitream immissis affunde

Acidi sulphurici crudi uncias sex

antea caute cum

Spiritus Vini alcoholisati unciis decem

mixtas. Vasorum juncturis probe clausis fiat destillatio leni igne. Liquorem elicitum residuo reaffunde et iteratae destillationi subjice, quamdiu aether prodit. Liquori adde

Aquae communis

Liquoris Kali acetici partes aequales,

quantum utriusque requiritur ad promovendam aetheris separationem, quem blando calore super magnesia usta pulvereque carbonum rectifica et in vasis optime clausis serva.

Sit ab omni acido liber, et in aquae destillatae minore quantitate quam in septem partibus non solvatur. P. spec. = 0,885 ad 0,895.

Aether phosphoratus.

R. Phosphori siccati in lamellas tenuissimas dissecti grana sex;

affunde

Aetheris sulphurici recenter parati unciam unam.

Stent in vase clauso per quatuor dies, saepeque agitentur. Tum liquor a Phosphoro residuo decanthetur et in vasis duarum drachmarum capacibus, bene obturatis, loco obscuro, non nimis frigori exposito nec nimis diu, servetur.

Sit limpidus, phosphorum redolens.

Aether sulphuricus.

(*Naphtha Vitrioli.*)

R. Acidi sulphurici crudi,

Spiritus Vini alcoholisati singulorum libras tres.

Spiritui Vini in retorta successive et caute admisce acidum sulphuricum. Adaptato excipulo satis capaci et juncturis bene clausis, instituatur destillatio ex arenae balneo cum liquidi ebullitione et destillent libra una et dimidia ad libras duas. Residuo, demptis unciis quatuor ad sex, affundantur

Spiritus Vini alcoholisati libra una cum dimidia,

quibus antea

Acidi sulphurici crudi unciae quatuor ad sex additae sunt.

Fiat nova destillatio, donec destillatum spiritus affusi quantitatem aequet; quae operatio cum simili spiritus vini et acidi sulphurici quantitate bis terve potest repeti. Liquorum aethereorum his destillationibus obtentorum partibus duodecim addantur

Aquae communis partes tres
Liquoris Kali caustici pars una,

et conquassentur in vase clauso. Aether supernatans a reliquo fluido separetur, et super carbonum pulvere et magnesia usta, calore blandissimo, rectificetur ita ut quarta vel tertia pars remaneat. In vasis bene clausis serva.

Sit coloris expers, et acido sulphuroso aut sulphurico, oleoque vini plane, spiritu vini et aqua quoque, quantum fieri potest, liber. Primum odore, liquore barytae nitricae et aqua hydrosulphurata exploratur; oleum vini, postquam aether avolavit, in vase remanet; spiritus vini adest, si aether in aquae destillatae minore quantitate quam decem partibus solvitur, aqua exploratur kali carbonico quod in aethere ab illa libero siccum remanet. P. spec. = 0,730 — 0,740.

Alumen ustum.

(*Sulphas aluminico-kalicus.*)

Alumen crudum uratur in crucibulo amplo, aut in olla fictili non vitreata satis capaci, donec fere totum in massam levem spongiosam abeat, quae a massa compacta separata loco sicco servetur.

Sit coloris expers et maxima ex parte in aqua solubile.

Ammoniacum depuratum.

Ammoniacum electum per tempestatem gelidam terendo redigatur in pulverem, ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum. Loco non nimis calido charta involutum serva.

Eodem modo parentur

Asa foetida depurata,
Galbanum depuratum,
Sagapenum depuratum.

Ammonium carbonicum depuratum.

(*Alcali volatile depuratum. Carbonas ammonicus depuratus.*)

Ammonium carbonicum crudum in retorta vitrea collo amplo instructa, adaptato excipulo bene refrigerando, sublimetur. Tum exemtum in vasis bene obturatis serva.

Sit hac depuratione a plumbo omnino liberatum.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

(*Sal volatile Cornu Cervi.*)

Segmenta Cornuum Cervi, vel ossium pinguedine purgatorum, in retortam tubulatam ferream aut figulinam immissa, adaptato excipulo amplo cum tubo intermedio, et foramine parvo, elasticis vaporibus exitum permittente, instructo, igne aperto, gradatim aucto, ure. Salem con-

cretum, una cum liquore ammoniali et oleo foetido inde productis, collige, cum duplo Boli albae pulveratae siccae misce, e retorta vitrea, balnei arenae calore, sublima, et in vase bene obturato serva.

Sit siccum, coloris fuscescentis.

Ammonium muriaticum depuratum.

(*Sal ammoniacum depuratum. Hydrochloretum Ammonii depuratum.*)

Ammonium muriaticum crudum solvatur in aquae calidae quantitate sufficiente. Solutum filtretur, et in vase vitreo aut porcellaneo supra modicum ignem evaporet. Tum ad crystallisationem reponatur, et operatio repetatur, quamdiu crystalli albae oriuntur. Crystalli bene siccatae serventur.

Cave ne sint stanno inquinatae, liquore auri muriatico dignoscendo.

Ammonium muriaticum ferruginosum seu martiatum.

(*Flores Salis ammoniaci martiales. Hydrochloretum Ammonii cum Subbichloreto Ferri.*)

R. Ammonii muriatici depurati uncias octo
Liquoris Ferri muriatici oxydati unciam unam et dimidiam.

Solve in

Aquae destillatae quantitate sufficiente.

Filtratum post evaporationem ad crystallisationem repone, et operationem repete quamdiu crystalli distinctae

obtinentur. Crystallos aurantiacas omnes collectas tritasque humorem ex aëre attrahentes in vitro bene clauso loco obscuro serva.

Solvatur in aquae tribus partibus non nimiam copiam sedimenti relinquens.

Aqua Amygdalarum amararum.

R. Amygdalarum amararum libras duas.

Bene contusis et per cribrum trajectis sensim affunde terendo

Aquae fontanae libras decem,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias quatuor.

Stent in vase bene clauso per duodecim horas. Tum immittantur in vesicam destillatoriam et destillent librae duae. Aquam hanc turbidam, acido hydrocyanico venenoso valde impraegnatam, in lagenis bene clausis caute serva.

Unciae quatuor, liquoris kali caustici, tum liquoris ferri muriatici oxydati, tandem acidi muriatici quantitate sufficiente admixta, praebeant ferri hydrocyanici grana quinque.

Dosis: ad guttas triginta.

Aqua aromatica.

R. Herbae Salviae uncias octo,
Rorismarini,
Menthae piperitae,
Florum Lavandulae, singulorum uncias quatuor,
Seminis Foeniculi,
Cassiae cinnamomeae, singulorum uncias duas.

Scissis et contusis affundantur

Spiritus Vini rectificati librae sex,
Aquae fontanae librae viginti.

Macera per horas viginti quatuor, et destillando elice libras duodecim. Serva in vasis bene obturatis.

Sit turbida, odore forti aromatico.

Aqua Asae foetidae.

R. Asae foetidae drachmas tres,

infunde

Aquae fontanae quantitatem sufficientem

et destillatione eliciantur unciae sex.

Sit turbida.

Aqua Asae foetidae composita.

(*Loco Aquae foetidae Pragensis.*)

R. Asae foetidae,
Radicis Angelicae,
Calami singularum drachmas tres.

Concisis affunde

Aquae fontanae quantitatem sufficientem,
Spiritus Vini rectificatissimi drachmas tres.

Destillatione elice uncias sex. Serva in vasis bene obturatis.

Est turbida, saltem initio.

Aqua Calcariae.

(*Aqua Calcis.*)

R. Calcariae ustae recentis libram unam.

Sensim affunde

Aquae communis libras triginta.

Ebullitione finita aqua supernatans decanthetur, et in lagenis rite obturatis servetur.

Sit limpida, calcaria carbonica non demissa.

Aqua Cerasorum.

R. Cerasorum acidorum exsiccatorum una cum nucleis contusorum libras tres,

Aquae fontanae quantum satis.

Destillando elice libras viginti quatuor.

Amygdalas amaras non nimis redoleat.

Nota. *Nunquam substituatur aqua ex amygdalis amaris aut aliis vegetabilibus acidum hydrocyanicum majori copia continentibus parata.*

Aqua Chamomillae.

R. Florum Chamomillae vulgaris libras duas,

Aquae fontanae libras triginta.

Destillent librae viginti.

Sit limpida.

Eodem modo paretur:

Aqua Sambuci, quae non minus limpida sit.

Aqua Cinnamomi simplex.

R. Cassiae cinnamomeae contusae libram unam,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Destillando eliciantur librae decem.
Sit demum limpida.

Aqua Cinnamomi vinosa.

R. Cassiae cinnamomeae contusae libram unam,
Spiritus Vini rectificati libras duas,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillent inde librae novem, quas bene serva.
Est turbida, tandem limpida.

Aqua Citri.

R. Flavedinis Pomorum Citri libram unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillatione eliciantur librae duodecim.
Sit limpida.

Aqua destillata.

R. Aquae fontanae partes tres.

Destillent partes duae, rejecta portiuncula primum prodeunte.

Aqua Florum Aurantii.

(*Aqua Naphae.*)

R. Florum Aurantii recentium libras duas, aut sale conditorum libras tres,
Kali carbonici crudi unciam unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Abstrahantur inde librae decem aquae limpidae.
Condiantur flores Aurantii, miscendo partes duas florum cum parte una natri muriatici.

Aqua Foeniculi.

R. Seminis Foeniculi contusi libram unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur librae viginti.
Sit limpida.

Aqua hydrosulphurata.

(*Aqua hepatica. Aqua hydrothionica.*)

R. Calcariae sulphuratae quantum vis.

Immitte in vas vitreum ad gas evolvendum aptum. Tum affunde sensim

Acidi sulphurici crudi cum
Aquae communis partibus sex diluti, quantum satis.

Gas prodiens infra superficiem aquae labri hydropneumatici excipe lagenis aqua destillata repletis, donec hujus trientes duo expulsi sint. Tum lagenas claude et agita, donec

gas aquae nuptum fuerit. In lagenulis perfecte repletis sollicitеque clausis serva.

Sit limpida, gas hydrosulphuratum valde redolens.

Aqua Lauro-Cerasi.

R. Foliorum recentium Lauro-Cerasi concisorum libras duas,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias tres,
Aquae fontanae libras sex.

Destillando elice libras tres.

Servetur caute uti aqua amygdalarum amararum.

Plerumque limpida est.

Eodem modo, quo in aqua amygdalarum amararum explorandа usi sumus, unciae quatuor praebent grana quinque ferri hydrocyanici.

Dosis: ad guttas triginta.

Nota. *Si folia Lauro-Cerasi recentia deficiunt, aquam amygdalarum amararum substituere licet.*

Aqua Melissae.

R. Herbae Melissae libras duas,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Destillando elice libras viginti aquae limpidae.

Eodem modo parentur:

Aqua Menthae crispae,
Aqua Rutae,
Aqua Salviae, quae omnes limpidae sint.

Aqua Menthae piperitae.

R. Herbae Menthae piperitae libras duas,
Aquae fontanae quantum sufficit.
Destillent librae quatuordecim.
Sit limpida.

Aqua Menthae piperitae vinosa.

R. Herbae Menthae piperitae libram unam,
Spiritus Vini rectificati libram unam cum dimidia,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur librae sex aquae turbidae, quam bene serva.

Aqua Opii.

R. Opii puri in taleolas dissecti et siccati unciam unam.
Immitte in retortam vitream et affunde
Aquae fontanae quantitatem sufficientem.

Excipulo adaptato et bene juncto, destillent unciae sex. Serva caute in vasis bene obturatis.
Sit limpida.

Aqua oxymuriatica.

(*Acidum muriaticum oxygenatum. Liquor Chlori.*)

Gas oxymuriaticum seu Chlorum intra apparatum pneumaticum in lagenas aqua destillata pro usu interno, aut fontana pro usu externo, repletas immitte, donec tertia

pars aquae supersit, tum inversas reclusasque agita, ut aqua gas absorbeat. Dein lagenas exacte claude, et liquorem loco umbroso in lagenis parvis repletisque serva quamdiu immutatus fuerit.

Sit limpida, odore nares valde feriente. Chartam tinctura Lacmus imbutam celeriter plane decolorem reddat, liquoremque argenti nitrici vix turbet.

Aqua Petroselini.

R. Seminis Petroselini contusi libram unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillent librae duodecim.
Sit turbida.

Aqua Rosarum.

R. Florum Rosarum incarnatarum recentium libras quatuor aut sale conditorum libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando elice libras viginti.
Sit limpida.

Condiantur petala florum rosarum sale, miscendo partem unam natri muriatici cum petalorum partibus duabus.

Aqua Rubi Idaei.

R. Residui post parationem succi Baccarum Rubi Idaei maturarum recentis, libras decem, aut sale conditi libras quindecim,

Kali carbonici crudi uncias duas,
Aquae fontanae libras triginta.

Abstrahantur librae viginti.

Sit limpida.

Condiatur residuum Baccarum Rubi Idaei simili modo ac Rosarum.

Nota. *Omnes aquae destillatae odorem vegetabilium, e quibus elicitae sunt, exhalent. Oleum, in quibusdam post destillationem innatans, auferatur. Serventur in vasis clausis, loco temperati caloris. Rejiciantur mucilaginosae.*

Argentum nitricum crystallisatum.

(*Nitras argenticus.*)

R. Argenti quantum placet.

Solve in

Acidi nitrici quantitate sufficiente.

Deinde liquor leni calore in vase vitreo evaporet ad crystallisationis punctum. Crystallos primo exortas candidissimas siccatas in vase bene clauso nigro pigmento obducto serva, ne nigrescant.

Sint in aëre immutabiles et affusus liquor ammonii caustici non coerulescat.

Dosis: ad Grani quadrantem.

Argentum nitricum fusum.

(*Lapis infernalis. Nitras argenticus fusus.*)

R. Argenti nitrici crystallisati quantum placet.

In vase argenteo aut porcellaneo idoneo leni calore liqua, et fluidum effunde in modulum ferreum calefactum, sebo illitum. Bacillos refrigeratos in vitro clauso loco obscuro serva.

Sit siccum, fractura radiosum, radiis e centro exeuntibus, splendens, colore albo aut griseo, et liquor Ammonii caustici affusus non coerulescat.

Balsamum Nucistae.

R. Cerae flavae unciam unam,
Olei Amygdalarum uncias duas,
Olei Nucistae uncias tres.

Liquefactis inter refrigerationem adde
Olei Macidis guttas viginti quatuor;
tum in cistulas effunde. Bene servetur.

Baryta muriatica.

(*Terra ponderosa salita. Chloretum Barii cum Aqua.*)

R. Barytae sulphuricae nativae electae et laevigatae libram unam.

Admisce sedulo
Carbonum pulveratorum unciam unam et dimidiam,
Colophonii pulverati uncias tres.

Mixta in crucibulo non nimis amplo, leviter tecto, excandescant per horam, igne quam maxime aucto. Massae refrigeratae et tritae in lagenam immissae affunde

Aquae destillatae ferventis libras duodecim.

In vase clauso digere, saepe agitando, per aliquot horas. Tum filtra et residuo reaffunde

Aquae destillatae ferventis libras quatuor

iterum digerendo ut barium sulphuratum plane solvatur. Liquori post refrigerationem filtro separato, cum primo mixto, caute instilla

Acidum muriaticum,

quamdiu gas hydrosulphuratum extricatur. Tum celeriter filtra et adde

Liquorem Ammonii caustici,

quamdiu praecipitatum inde efficitur. Liquorem denuo filtratum lege artis in crystallos redige, quas siccatas, rejectis sub finem crystallisationis exortis, serva.

Sint tabulares, siccae nec in aëre humescentes, coloris candidi, ab inquinamentis metallicis plane liberae, quod aqua hydrosulphurata, et liquore Ammonii caustici exploratur. Immixta strontiana muriatica solutione in spiritu vini rectificatissimo et ipsius deflagratione colore rubro cognoscitur.

Bismuthum nitricum praecipitatum.

(*Magisterium Bismuthi. Subnitras bismuthicus.*)

R. Bismuthi puri uncias duas,

Acidi nitrici quantum satis

ad solvendum. Solutionem

Aquae destillatae dimidia parte

dilue, filtra, et in vas vitreum, Aquae destillatae circiter libras viginti jam continens, effunde. Praecipitatum inde natum edulcora, et loco calido umbroso exsicca. In vasis bene clausis serva.

Sit albissimum, splendens, aut instar pulveris aut e lamellis seu squamis minimis constans, nec acido muriatico nec sulphurico inquinatum, quod liquore barytae nitricae et argenti nitrici exploratur.

Calcaria muriatica.

(*Sal ammoniacum fixum. Chloretum Calcii.*)

R. Concharum praeparatarum bene excoctarum, quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente.

Solutio filtrata in vase vitreo aut porcellaneo evaporet. Sal siccum adhuc calens statim in vas vitreum ingere et in ipso bene clauso serva.

Sit coloris expers, in aqua plane solubilis, et ab inquinamentis metallicis libera, quod aqua hydrosulphurata, et liquore ammonii caustici, cognoscitur.

Ne adhibeatur hujus loco calcaria muriatica e residuo post praeparationem liquoris ammonii caustici parata.

Calcaria sulphurata.

(*Hepar Sulphuris calcareum. Sulphuretum Calcii cum Sulphate calcico.*)

R. Gypsi partes septem;

misce cum

Carbonum pulveratorum parte una.

Mixta in crucibulo tecto candescant, donec pulvis albus appareat, quem adhuc calidum in vas vitreum ingere probe dein claudendum.

Aqua affusa carbonum particulae non separentur, et acido sulphurico diluto gas hydrosulphuratum copiose extricetur.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(*Calx Antimonii cum Sulphure. Sulphuretum Calcii c. Sulphureto Stibii et Sulphate calcico.*)

R. Concharum praeparatarum uncias duas,
Stibii venalis laevigati drachmas duas,
Sulphuris depurati unciam dimidiam.

Mixta in crucibulo obtegantur strato concharum praeparatarum et per horam dimidiam incandescant. Tum, rejecto strato concharum, massam exime et refrigeratam ac bene tritam in vasis vitreis parvis capacitatis drachmae unius bene obturatis serva.

Sit pulvis e flavescenti griseus, qui affuso acido muriatico colorem aurantiacum ostendat, gas hydrosulphuratum simul copiose emittens.

Carbo praeparatus.

(*Carbo purus.*)

Carbones vegetabiles grossiuscule pulveratos et aquae sufficiente copia excoctos ure in crucibulo clauso, cujus operculum foramine parvo instructum sit, donec fumus

penitus exire desinat. Carbones remanentes in pulverem subtilissimum redigantur, quem in vase clauso serva.

Sit colore nigerrimo, parum nitens.

Carbo Spongiae.

(*Spongiae ustae.*)

Spongia marina, equorum dicta, a lapidibus mundata et in frustula concisa crucibulo leviter tegendo immissa, uratur quamdiu fumus inde prodit. Crucibulo refrigerato carbonem in pulverem redige, quem in vase bene clauso serva.

Ceratum Cetàcei album.

(*Emplastrum Spermatis Ceti. Ceratum labiale album.*)

R. Cerae albae,
Cetacei,
Olei Amygdalarum singulorum partes aequales.

Liquefacta in cistulas effundantur et refrigerata in taleolas dissecta serva.

Ne flavescens nec rancidum sit.

Ceratum Resinae Burgundicae.

(*Ceratum Resinae Pini* s. *Emplastrum citrinum.*)

R. Cerae flavae libras duas,
Resinae Pini Burgundicae libram unam,
Sebi ovilli,
Terebinthinae communis singulorum libram dimidiam.

Fiat lege artis ceratum e fusco flavum.

Cereoli plumbici.

(*Cereoli saturnini* s. *mitigantes.*)

R. Cerae flavae uncias sex.

Liquatis admisce assidue agitando

Aceti plumbici drachmas duas.

Ab igne remotis immerge telas linteas tenues, e quibus lege artis fiant cereoli, superficie laevi et forma exacta.

Cereoli simplices.

(*Cereoli exploratorii.*)

R. Cerae flavae uncias sex,

Olei Olivarum unciam unam.

Liqua et post lenem humidi evaporationem, fiant cereoli, uti supra.

Colocynthis praeparata.

(*Trochisci Alhandal.*)

R. Colocynthidis a seminibus liberatae et minutim concisae uncias quinque,

Gummi Mimosae pulverati unciam unam.

Cum aquae quantitate sufficiente fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem in vase bene clauso servandum.

Dosis: ad Granum unum.

Eodem modo paretur et servetur:

Fructus Capsici annui praeparatus.

Dosis: ad Grana quatuor.

Conchae praeparatae.

Conchae, aqua affusa communi, decoquantur, ope scopae a quisquiliis mundentur, bene abluantur et siccentur, tunc pulveratae et laevigatae serventur.

Cuprum aluminatum.

(*Lapis divinus.*)

R. Aeruginis,

Kali nitrici depurati,

Aluminis, singulorum uncias duas.

Contusa liquefiant in vase terreo vitreato. Leni calore liquefactis et ab igne remotis, admisce

Camphorae tritae drachmam unam.

Tum effunde. Massam refrigeratam albo-coerulescentem in frustula diffractam bene serva.

Cuprum sulphurico-ammoniatum.

(*Cuprum ammoniacale. Sulphas triammonico-cupricus.*)

R. Cupri sulphurici triti quantum placet.

Solve in

Liquoris Ammonii caustici, quantum requiritur ad solvendum.

In vase vitreo altiore sensim affunde

Spiritus Vini rectificatissimi eandem quantitatem

ut hicce illi innatet et sepone vas per triduum. Tum, Spiritu Vini decanthato, crystallos ortas collige et inter chartam bibulam sicca. Admiscendo Spiritus Vini rectificatis-

simi partes aequales nova quantitas crystallorum separari potest a primis non nisi magnitudine discrepantium. In vitro bene clauso serva.

Sint crystalli coloris coerulei saturati et cum aquae destillatae parte una cum dimidia solutionem limpidam praebeant.

Dosis: ad Granum unum.

Cuprum sulphuricum.

(*Vitriolum de Cypro. Sulphas cupricus cum Aqua.*)

R. Ramentorum Cupri partem unam.

Immitte in retortam vitream et affunde

Acidi sulphurici crudi partes tres

antea cum

Aquae destillatae parte una

mixtas. Retortam in balneo arenae igni expone ut cuprum, abigendo acidum sulphurosum, solvatur. Solutio ad siccum evaporet. Massam remanentem contritam in

Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente

dissolve, solutum filtra, et lege artis in crystallos redige, quas siccas serva.

Crystalli cyaneae ferro et zinco sulphurico sint liberae. Primum cognoscitur si liquore ammonii caustici non plane solvuntur. Zincum sulphuricum, in solutione cupri sulphurici cum acido sulphurico mixta, post praecipitationem cupri addito acido hydrosulphurato, remanet, kali aut natro carbonico detegendum.

Poterit quoque e cupro sulphurico venali, si ab aliis metallis liberum fuerit, solutione et crystallisatione, uti ammonium muriaticum depuratum, parari.

Dosis: ad Granum unum.

Electuarium e Senna.

(*Electuarium lenitivum.*)

R. Caricarum uncias octo.

Concisas coque ex

Aquae communis libris quatuor,

ad dimidium; exprime et cola. Decoctum evaporet ad uncias duodecim, in quibus dissolve

Sacchari albi uncias sedecim.

Huic syrupo immisce

Pulpae Tamarindorum uncias octo

et postremo

Foliorum Sennae pulveratorum uncias quatuor cum dimidia,

Seminis Anisi stellati pulverati unciam dimidiam.

Fiat electuarium e viridi fuscum, quod loco frigido serva, ne corrumpatur.

Electuariam Theriaca.

R. Mellis despumati libras sex.

Paululum calefacto admisce

Opii pulverati in Vini Malacensis quantitate sufficiente soluti unciam unam.

Tum adde

Radicis Angelicae pulveratae uncias sex,
Serpentariae Virginianae pulveratae uncias quatuor,
Valerianae minoris,
Scillae,
Zedoariae,
Cassiae cinnamomeae singularum pulveratarum uncias duas,
Cardamomi minoris,
Myrrhae,
Caryophyllorum,
Ferri sulphurici crystallisati singulorum in pulverem redactorum, unciam unam.

Fiat electuarium fuscum, quod loco frigido caute serva.

Nota. *Electuarii hujus uncia Opii pulverati circiter continet grana quinque.*

Elixir Aurantiorum compositum.

(*Loco Elixiris visceralis Hofmanni.*)

R. Corticum Pomorum Aurantii a parenchymate interno mundatorum et concisorum uncias quatuor,
Pomorum Aurantii immaturorum,

Cassiae cinnamomeae, singulorum contusorum uncias duas,
Kali carbonici e cin. clav. unciam unam,
Vini Malacencis libras quatuor.

Post digestionem sufficientem exprime. In colatura librarum trium et unciarum octo, solve

Extracti Absinthii,
Cascarillae,
Gentianae,
Trifolii singulorum unciam unam.

Post subsidentiam et decanthationem liquori limpido adde

Olei Corticis Citri drachmam unam

in

Spiritus sulphurico-aetherei unciis duabus

solutam. Serva bene et ante dispensationem agita.
Sit fuscum, non nimis turbidum.

Elixir e Succo Liquiritiae.

(*Loco Elixiris pectoralis.*)

R. Succi Liquiritiae depurati uncias duas.

Solve in

Aquae Foeniculi unciis sex.

Solutioni decanthatae et colatae adde

Liquoris Ammonii anisati uncias duas.

Mixta in vase bene clauso serva.
Sit fuscum, absque sedimento.

Emplastrum adhaesivum.

R. Emplastri Lithargyri simplicis libras duas,
Terebinthinae coctae libram unam.

Liquefacta super igne per horae quadrantem spathula agitentur, cavendo ne adurantur. Refrigeratum loco temperato serva.

Sit fuscescens. Vetustum recenti praeferendum.

Emplastrum adhaesivum Anglicum.

R. Ichthyocollae concisae uncias duas.

Coque in

Aquae communis quantitate sufficiente ad solutionis colaturam unciarum octodecim.

Obducatur sensim ope penicilli tela bombycina, Taffent dicta, longitudine sex pedum, hujus solutionis calidae unciis duodecim et siccetur, quod obductum fuerit.

Tum unciis sex residuis.

Spiritus Vini rectificati quantitate sufficiente

dilutis tela iterum eodem modo obducatur. Tandem in dorso

Tinctura Benzoes quantitate sufficiente

illinatur, bene siccetur et in taleolas dissecta loco sicco servetur.

Sit rigidum, madefactum cuti tenaciter adhaerens.

Emplastrum Ammoniaci.

R. Cerae flavae,
Resinae Pini Burgundicae singularum uncias quatuor.

Liquatis et subrefrigeratis admisce
Ammoniaci depurati uncias sex,
Galbani depurati uncias duas,
in
Terebinthinae communis unciis quatuor
blando calore solutas. Fiat lege artis emplastrum virescens, tenax, ammoniacum redolens.

Emplastrum aromaticum.

(*Loco Emplastri stomachici.*)

R. Cerae flavae uncias octo,
Sebi ovilli uncias sex,
Terebinthinae communis uncias duas.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Olibani pulverati uncias quatuor,
Benzoës pulveratae uncias duas,
Olei Nucistae unciam unam cum dimidia,
Menthae piperitae,
Caryophyllorum singulorum drachmas duas.
Fiat emplastrum griseo-fuscum, tenax, odore aromatico, quod bene serva.

Emplastrum Cantharidum ordinarium.

(*Emplastrum vesicatorium ordinarium.*)

R. Cerae flavae uncias duodecim,
Terebinthinae communis,
Olei Olivarum singulorum uncias tres.

Liquefactis et semirefrigeratis immisce

Cantharidum grossiuscule tritarum uncias sex,

ut fiat emplastrum tactu pingue, molle, punctis viridibus nitentibus aequabiliter dispersis, quod bene serva.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(*Emplastrum vesicatorium perpetuum.*)

R. Cerae flavae unciam unam,
Resinae Pini Burgundicae drachmas tres,
Sebi ovilli,
Terebinthinae communis singulorum drachmas duas.

Liquefactis inter refrigerationem immisce

Cantharidum pulveratarum drachmam unam

ut fiat emplastrum, quod loco temperato serva.

Sit fuscum, punctis viridibus aequabiliter dispersis, temperatura media rigens, fragile.

Emplastrum Cerussae.

(*Emplastrum album coctum.*)

R. Lithargyri subtilissime pulverati libram unam,
Olei Olivarum libras quatuor cum dimidia.

Coquantur sub agitatione continuata, instillando sensim modicam aquae communis calidae copiam, ne humidum deficiat. Post solutionem lithargyri adde

Cerussae pulveratae libras septem.

Coque aquam addendo, donec fiat emplastrum.

Sit candidum, tenax, et cerussa plane subacta.

Emplastrum Conii.

R. Cerae flavae libram unam,

Colophonii,

Olei Olivarum singulorum libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paulatim admisce

Herbae Conii maculati pulveratae libram unam,

ut fiat emplastrum griseo-viride, molliusculum.

Eodem modo parentur:

Emplastrum Hyoscyami quod sit fusco-virens, molliusculum,

Meliloti quod sit obscure virens, molliusculum.

Bene serventur, ne situ corrumpantur.

Emplastrum foetidum.

(*Emplastrum resolvens.*)

R. Ammoniaci depurati uncias duodecim,

Asae foetidae depurati uncias quatuor.

Supra lenem ignem emollitis immisce

Saponis Hispanici pulverati uncias duas,

ut fiat emplastrum e griseo fuscum, molliusculum, asam foetidam redolens, quod loco frigido serva.

Emplastrum fuscum seu nigrum.

(*Emplastrum Noricum. Emplastrum Minii adustum.*)

R. Minii subtilissime pulverati uncias octo,
Olei Olivarum uncias sedecim.

In lebete idoneo coquantur sub perpetua agitatione, donec colorem e nigrescente fuscum adipiscant. Tum adde
Cerae flavae uncias quatuor
et his liquatis et immixtis
Camphorae in pauxillo Spiritus Vini rectificati solutae drachmas duas.

Mixta effunde in capsulas papyraceas et post refrigerationem in taleolas dissecta bene serva.

Sit coloris supra dicti, consistentiae cerati tenacioris, camphoram valde redolens.

Emplastrum Hydrargyri.

(*Emplastrum mercuriale.*)

R. Emplastri Lithargyri simplicis uncias viginti quatuor,
Cerae flavae uncias sex.

Liquentur leni calore, dein ab igne remotis adde
Hydrargyri depurati uncias octo,
Terebinthinae communis unciis quatuor,
antea diligenti agitatione extinctas. Misce exacte, ut fiat emplastrum.

Sit cinereum, quantum fieri potest, absque globulis hydrargyri conspicuis, molliusculum.

Emplastrum Lithargyri compositum.

(*Emplastrum Diachylon compositum.*)

R. Emplastri Lithargyri simplicis libras quatuor,
Cerae flavae libram dimidiam.

Liquatis et aliquantulum refrigeratis admisce
Ammoniaci depurati,
Galbani depurati, singulorum uncias quatuor
in
Terebinthinae communis eadem quantitate
solutas. Fiat lege artis emplastrum e fusco flavum, tenax, galbanum redolens.

Emplastrum Lithargyri simplex.

(*Emplastrum Diachylon simplex.*)

R. Lithargyri subtilissime pulverati libras quinque,
Olei Olivarum libras novem.

Coque moderato igne, spathula semper agitando, et pauxillum aquae communis calidae subinde instillando, ad justam emplastri spissitudinem.

Sit lutescenti-album, tenax, non unguinosum, nec lithargyri non soluti vestigia conspiciantur.

Emplastrum opiatum.

(*Emplastrum cephalicum.*)

R. Terebinthinae communis drachmas tres,
Elemi,

Olei Olivarum Provincialis singulorum drachmam unam.

In balneo aquae liquatis adde

Masticles,

Olibani singulorum pulveratorum drachmas duas,

Benzoës pulveratae drachmam unam.

Dein in massam homogeneam redactis admisce

Opii pulverati drachmam dimidiam,

ut fiat emplastrum colore fusco-nigro, frigore rigidum, quod loco frigido serva.

Emplastrum saponatum.

R. Emplastri Lithargyri simplicis libras tres,

Cerae flavae libram dimidiam.

Leni igne liquatis inter agitandum adde

Saponis Hispanici pulverati uncias tres.

Tum aliquantulum refrigeratis admisce

Camphorae, in Olei Olivarum Provincialis pauxillo solutae, unciam dimidiam.

Fiat emplastrum albidum, non lubricum, nec fragile, quod bene servetur.

Emplastrum sulphuratum.

(*Emplastrum nigrum sulphuratum.*)

R. Colophonii uncias octodecim.

Liquatis et aliquantulum refrigeratis immisce

Myrrhae,
Asphalti singulorum pulveratorum uncias quatuor.

Adde
Ammoniaci,
Galbani,
Sagapeni singulorum depuratorum uncias quatuor,

in
Terebinthinae communis unciis sex

solutas. Tum sub agitationem affunde
Olei Lini sulphurati,
Terebinthinae, singulorum uncias octo.

Sub finem immisce
Camphorae, in Olei Olivarum pauxillo solutae, unciam unam et dimidiam.

Fiat emplastrum molle, in vasis bene clausis servandum.

Nota. *Omnia emplastra aequabiliter mixta esse oportet, linteoque, saltem emollita, adhaereant.*

Extractum Absinthii.

R. Summitatum Herbae Absinthii quantum vis.

Minutim concisis et in vas idoneum immissis affunde
Aquae communis fervidae decuplum.

Sepone per triginta sex horas, subinde agitando, et tum liquorem exprimendo separa. Residuum iterum
Aquae communis fervidae quintuplo

infunde et post refrigerationem exprime. Liquores expressi, subsidendo, decanthando colandoque depurati primo leni

calore ad tertiam partem, tum in balneo vaporis ad justam extracti spissitudinem evaporent, ita quidem, ut remanens non effundi queat, spathula tamen in fila extrahi possit. Bene servetur.

Eodem modo parentur et serventur:

Extractum Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Chamomillae vulgaris,
Dulcamarae,
Fumariae,
Gentianae,
Graminis,
Millefolii,
Rhei et
Trifolii.

Nota. *Omnia haec extracta colore e fusco nigra sint, Cardui benedicti simul virescens; extr. Fumariae plerumque crystallos immixtas habet. Omnia quoque in aqua solubilia sint, solutione fusca aut e fusco flavescente et aliquantulum turbida, excepto extracto Gentianae, quod solutionem limpidam praebeat. Saporem vegetabilis retineant et, quantum fieri potest, odorem. Ad massae pilularis spissitudinem redigas extr. Graminis et Rhei.*

Extractum Aconiti.

R. Herbae Aconiti libram unam.

Concisae affunde

Spiritus Vini rectificati libras quinque.

Digere per tringinta sex ad quadraginta octo horas, exprime et liquorem expressum ac filtratum sepone. Residuo affunde

Aquae communis fervidae libras decem

et sepone per triginta sex ad quadraginta octo horas, subinde agitando. Exprime. Tum liquori aquoso, modico calore ad tertiam partem reducto et refrigerato, admisce

Spiritum Vini rectificatum,

quamdiu inde turbatur. Sepone, donec miscella limpida fuerit, tum decanthatione et filtratione a sedimento liberata et admixta tinctura supra dicta blanda destillatione spiritum vini elice. Residuum tandem in balneo vaporis ad extracti Absinthii spissitudinem evaporet. Bene ac caute serva.

Eodem modo parentur:

Extractum Angelicae,
Arnicae radicis,
Aurantiorum corticum,
Belladonnae,
Calami,
Chinae spirituosum,

Extractum Colocynthidis, e pulpa absque seminibus,
Colombo,
Helenii,
Hellebori nigri,
Levistici,
Pimpinellae et
Senegae.

Bene serventur, simul quoque caute extr. Belladonnae.

Nota. *Omnia haec extracta solutionem praebeant plus minusve turbidam, exceptis extr. Aurantiorum cort. et Pimpinellae, quorum solutio sit limpida. Colore sint e nigricante fusco, exceptis extractis Angelicae, Arnicae, Colombo et Pimpinellae, quibus color pallidior, nec non extractis Aconiti et Belladonnae, quibus color viridescens.*

Extractum Aconiti Herbae recentis.

(*Succus inspissatus Aconiti.*)

Herba Aconiti recens contundatur in mortario lapideo, adspergendo pauxillum aquae communis, et exprimatur. Succus expressus ita calefiat, ut ebullire incipiat, colando a faecibus separetur, et in balneo vaporis ad mellis spissitudinem evaporet. Faecibus cum herba expressa residua mixtis affundatur

Spiritus Vini rectificatissimi

tantum ut duplum sit tam faecum quam herbae expressae. Digerantur per viginti quatuor horas in vase clauso, et post digestionem exprimantur. Liquorem expressum et colatum destillationi subjice ad dimidium usque; residuum evaporet ad mellis spissitudinem et, addito succo herbae concentrato, nova evaporatione ad consistentiam massae pilularum redigatur. Bene ac caute serva.

Eodem modo parentur:

Extractum Belladonnae,

Chelidonii,

Conii maculati, ex herba ante florescentiam collecta,

Digitalis,

Gratiolae,

Hyoscyami et

Lactucae virosae,

quae bene (extracta Belladonnae, Conii maculati et Hyoscyami etiam caute) serventur.

Nota. *Omnia haecce extracta colorem habeant virescentem, saporem, extr. Conii mac. et Hyoscyami vero quoque odorem, vegetabilis e quo praeparata sunt. Solutione turbida in aqua solvantur. Extr. Conii mac. saepe crystallulis mixtum est.*

Extractum Aloës.

R. Aloës lucidae libram dimidiam.
In pulverem redactae affunde
Aquae destillatae libras duas.

Macera per quadraginta octo horas, saepius agitando, et liquor subsidendo depuratus et colatus in balneo vaporis ad consistentiam massae pilularis evaporet, tum exime et leni calore ad eam densitatem, ut pulverari queat, exsicca.

Coloris sit fusci, madefactum colore flavo inquinans, sapore aloës.

Eodem modo parentur:

Extractum Myrrhae, quod sit e rufo fuscum, marginibus pellucens, in aqua solutione fere limpida solubile, odoris et saporis myrrhae; et

Opii, quod sit fuscum, splendens, madefactum colore flavo-fusco inquinans, odore, praesertim vero sapore opii. Caute servetur.

Extractum Cascarillae.

R. Corticis Cascarillae minutim contusi libram unam.
Affunde
Aquae communis libras sedecim.

Decoque ad remanentiam librarum octo et cola. Residuum denuo cum

Aquae communis libris sedecim

ad dimidium decoque, et repete decoctionem, quoties opus fuerit. Tum liquores commixti subsidendo et decanthatione depurati evaporent ad remanentiam librarum quatuor, quas in balneo vaporis ad extracti Absinthii spissitudinem redige. Serva bene.

Eodem modo parentur et serventur:

Extractum Chinae fuscae, coloris fusci, solutione in aqua turbida e fuscescenti alba,

Chinae regiae, coloris e rufo fusci, solutione in aqua turbida e fuscescenti alba,

Guajaci Ligni, coloris fusco-nigri, solutione in aqua aliquantulum turbida fusca,

Nucis Vomicae, coloris fusco-nigri, solutione in aqua turbida e virescenti albida,

Quassiae Ligni, coloris e griseo fusci, crystallulis saepe mixtum, solutione in aqua turbida fusca et

Salicis, coloris fusco-nigri, solutione in aqua aliquantulum turbida rufo-fusca, odore peculiari.

In extractis ligni Guajaci et Quassiae parandis, versus finem evaporationis addatur pauxillum spiritus vini rectificatissimi et continuetur evaporatio, ut fiat extractum consistentiae aequabilis.

Extractum Chinae fuscae frigide paratum.

R. Corticis Chinae fuscae in pulverem grossiusculum redacti libram unam,

Aquae destillatae quantum satis,

ut aqua supra pulverem ad pollicem usque emineat.

Stent per horas quadraginta octo, saepius agitando, et liquor exprimatur. Haec operatio bis terve repetatur. Liquores expressi et colati in balneo vaporis ad mellaginis consistentiam leniter evaporent. Massam refrigeratam dilue

Aquae destillatae ea quantitate

ut filtrari possit. Post filtrationem per chartam bibulam liquor iterum in balneo vaporis ad mellaginis consistentiam inspissetur et operatio repetatur, donec extractum solutione limpida solvatur. Serva in vasis vitreis bene obturatis.

Sit fuscum, cum aqua solutionem limpidam rufo-fuscam praebens. Plerumque sedimentum crystallinum deponit.

Eodem modo parentur et serventur:

Extractum Chinae regiae frigide paratum, praecedenti simile et

Extractum Valerianae frigide paratum,

coloris fusco-nigri, in aqua solutione limpida fusca solubile.

Extractum Ferri pomatum.

R. Ferri in clavis aut filis libram unam,
Succi Pomorum acidulorum maturorum excoriatorum libras quatuor.

Digerantur, saepius agitando, per aliquot dies. Postea coquantur leni igne ad dimidiae partis consumtionem. Liquor per linteum colatus subsidendo et decanthatione depuratus in balneo vaporis ad extracti Absinthii spissitudinem redigatur.

Sit colore e virescenti nigro, in aqua solutione limpida nigra solubile, saporis dulcis demum valde adstringentis, odoris suavis nec acidi.

Extractum Graminis liquidum.

(*Mellago Graminis.*)

R. Radicum Graminis recentium libras duodecim.

Concisas contunde in mortario lapideo aut ferreo, addendo sensim

Aquae communis libras novem.

Exprime succum, quem subsidendo depuratum ad separationem substantiae albuminosae usque decoque, cola, et

leni calore ad mellis recentis spissitudinem redige. In vasis bene obturatis loco temperato serva.

Sit e nigrescente fuscum, cum aqua solutionem limpidam fuscam praebens, saporis dulcis, odoris suavis nec acidi.

Eodem modo paretur et servetur:

Extractum Taraxaci liquidum, (*Mellago Taraxaci*), quod sit fuscum et solutionem in aqua limpidam fuscam praebeat, (quem in finem extractum, si necesse fuerit, iterum solvi et inspissari debet), saporis amaricantis nec acidi.

Nota. *Extracta hoc modo praeparata non nisi tempore vernali ac aestivo requiri possunt. Tempore hyberno vero parentur uti extractum Absinthii, sed liquores infusione obtenti ad mellis recentis spissitudinem tantum redigantur.*

Extractum Juglandis Nucum.

E Nucibus Juglandis immaturis, in mortario lapideo cum pauxillo Aquae communis contusis, exprime succum, quem colatum in balneo vaporis ad massae pilularis spissitudinem redige. Bene servetur.

Sit nigrum, splendens, solutio in aqua turbida e nigrescenti fusca.

Extractum Rhei compositum.

(Loco Extracti catholici et panchymagogi.)

R. Extracti Rhei uncias tres,
Aloës unciam unam.

Leni calore in
Aquae destillatae sufficiente quantitate
solutis admisce
Saponis jalapini unciam unam
in
Spiritus Vini rectificati quantitate sufficiente
solutam. Tum in balneo vaporis agitando ad massae pilularis spissitudinem redige.

Sit color e nigrescenti fuscus, solutio in aqua turbida fusco-flava.

Nota. *Omnia extracta cupro e vasis recepto plane libera sint, quod ferro polito solutioni immisso, cuprum praecipitante, detegitur.*

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens in balneo vaporis ad extracti Absinthii spissitudinem evaporet. Servetur loco frigido in vasis bene clausis ne corrumpatur.

Sit coloris e fuscescenti viridis, in aqua solutione limpida virescenti solubile, cupro non inquinatum, quod eodem modo ut in extractis exploratur.

Ferrum muriaticum oxydulatum.

(Ferrum muriaticum. Chloretum Ferri.)

R. Ferri in frustulis quantum vis.

Immitte in cucurbitam satis amplam et adde

Acidi muriatici eam quantitatem

ut post solutionem, sub finem leni calore adjuvandam, pars ferri non soluta remaneat. Solutio filtrata evaporet ad siccum. Massam residuam salinam virescentem statim in vas ingere et in eo bene clauso serva.

Ferrum oxydatum fuscum.

(*Ferrum carbonicum. Crocus Martis aperitivus. Oxydum ferroso-ferricum.*)

R. Ferri sulphurici crystallisati quantum vis.

Solve in

Aquae communis calidae quantitate sufficiente.

Solutionem refrigeratam filtra et

Natro carbonico crudo

in

Aquae communis quantitate sufficiente

soluto misce, quamdiu praecipitatum inde efficitur, quod, filtro separatum et Aqua communi fervida sedulo edulcoratum, sicca, et in vase bene clauso serva.

Sit pulvis subtilissimus, rufo-fuscus, natro sulphurico ac carbonico liber, coquendo cum aqua extrahendis, nec nisi recenter paratus acido affuso effervescat.

Ferrum oxydatum rubrum.

(*Crocus Martis adstringens. Oxydum ferricum.*)

R. Ferri sulphurici crystallisati partes duodecim,
Kali nitrici depurati partem unam.

Immitte in crucibulum, et igne primum leniori dein fortiori ure, donec vapores ascendere desierint et massa colorem rubrum induerit. Post refrigerationem massam ope Aquae destillatae coquendo et abluendo a particulis salinis libera, et pulverem subtilissimum inde obtentum rufofuscum sicca et bene serva.

Ferrum oxydulatum nigrum.

(*Aethiops martialis. Oxydum ferrosum.*)

R. Ferri oxydati fusci, quantum placet.

Irrora

Olei Olivarum quantitate sufficiente,

ut fiat pulvis humidiusculus, qui in ollam griseam immissus et obtectus per horam dimidiam igne excandescat. Massam refrigeratam nigerrimi coloris, rejecta superiore, coloris minus obscuri, exime, tere ut fiat pulvis subtilissimus, et in vitro bene obturato serva.

Nimiam carbonis copiam non contineat, quae solutione in acido muriatico conspicitur.

Ferrum pulveratum.

(*Limatura Martis praeparata.*)

Ferrum lima in scobem redige, in mortario ferreo assidue tere, et pollen subtilissimum nigrescenti-cinereum metallice splendens, per linteum separandum, in vitro bene obturato serva.

Ferrum sulphuricum crystallisatum.

(*Vitriolum Martis. Sulphas ferrosus cum Aqua.*)

R. Acidi sulphurici crudi uncias duodecim.

In cucurbita vitrea

Aquae communis quadruplo

dilutis successive immitte

Ferri in frustulis tantum

ut ultima pars ferri non soluta remaneat. Tum filtra et lege artis in crystallos redige. Serva in vasis bene obturatis.

Sint virides, aëri expositae in pulverem flavum fatiscentes, in aquae partibus duabus solubiles, saporis styptici.

Dosis: ad Grana tria.

Nota. *Omnia praeparata ferri hic recensita sint cupro plane libera, quod dignoscitur solutione in aqua aut in acido muriatico et praecipitatione ope ammonii carbonici ad excessum usque additi, quod tunc colore coeruleo cupri oxydum solvit.*

Gas Acidi carbonici.

R. Cretae pulveratae quantum vis.

In lagenam immissae et Aqua communi humectatae sensim affunde

Acidi sulphurici crudi, Aquae communis partibus sex diluti quantum sufficit.

Gas per tubulum lagenae impositum prodiens infra superficiem aquae apparatus pneumatici in lagenis aqua repletis excipe et in ipsis bene obturatis ac inversis serva.

Sit odoris expers.

Gas Acidi muriatici oxygenati seu oxymuriatici seu Chlori.

R. Natri muriatici uncias duodecim,
Mangani oxydati nativi pulverati uncias octo.

Mixta in retortam tubulatam ingere. Adaptato excipulo tubulo incurvato instructo et aqua hactenus repleto, ut retortae orificium infra hujus superficiem positum sit, juncturisque bene clausis, per tubulum affunde

Acidi sulphurici crudi uncias decem,

antea caute

Aquae communis eadem quantitate

dilutas. Retorta bene clausa calefiat in arenae balneo. Gas prodiens infra superficiem aquae calidae apparatus pneumatici excipe lagenis Aqua destillata repletis, donec haec expulsa sit. Lagenae epistomiis vitreis clausae et inversae sub aquae superficie repositae serventur, quamdiu gas aqua destillata mixtum aquam oxymuriaticam bonae indolis praebet.

Glandes Quercus tostae.

Glandes Quercus a putaminibus mundatae in sartagine ferrea igni exponantur, subinde agitando, donec colorem fuscum induerint. Refrigeratas in pulverem grossiusculum redige.

Globuli Tartari ferruginosi seu martiati.

R. Ferri limati partem unam,
Tartari crudi pulverati partes quatuor.

Mixta in vase figulino humectentur Aqua communi ut fiat massa pultiformis, quam in vaporis aut arenae balneo, saepius agitando et aquam quae avolavit reaffundendo, digere, donec quasi resinosa appareat, et particula aqua colore e viridi flavo solvatur. Formetur in globulos bene servandos.

Sint coloris nigerrimi, ferro oxydato et rimis liberi, aqua fere plane solubiles.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.

(*Mercurius praecipitatus albus. Hydrochloretum Ammonii cum Oxydo hydrargyrico.*)

R. Hydrargyri muriatici corrosivi venalis,
Ammonii muriatici depurati singulorum uncias octo.

Solve in

Aquae destillatae fervidae libris octo.

Liquori refrigerato ac filtrato sensim admisce

Natrum carbonicum crudum in Aquae destillatae quantitate sufficiente solutum,

quamdiu pulvis albissimus praecipitatur, quem, filtro separatum et Aqua communi frigida ablutum, loco obscuro sicca et serva.

Hydrargyrum depuratum.

R. Hydrargyri libram unam.

Immitte retortae satis capaci et adde Ferri limati tantum ut superficies eo obtecta sit. Tunc retortam excipulo ea aquae copia repleto insere, ut orificium retortae ab

aquae superficie durante operatione semper distet. Dein in arenae balneo, igne sensim sed non nimis aucto, destillent unciae novem, quae ab aqua separatae et siccatae per cucullum chartaceum perfundantur et in vitro bene obturato serventur.

Hydrargyrum muriaticum corrosivum.

(*Mercurius sublimatus corrosivus. Bichloretum Hydrargyri.*)

R. Hydrargyri depurati uncias duodecim.

Immitte in retortam vitream et affunde

Acidi sulphurici crudi uncias viginti.

Tum retortam in balneo arenae igni expone, donec post destillationem aquae et evolutionem acidi sulphurosi contenta penitus in massam albam siccam redacta fuerint. Hanc tritam caute misce cum

Natri muriatici sicci pari pondere.

Dein e cucurbita aut potius retorta vitrea, ad tertiam tantum partem repleta et in arena collocata, cui excipulum absque luto junctum est, igne ab initio moderato, sed post expulsionem vaporum aquae et acidi muriatici primo prodeuntium per gradus aucto, sublima. Massam sublimatam crystallinam caute secundum leges serva.

Dosis: ad Grani dimidiam partem.

Hydrargyrum muriaticum mite.

(*Mercurius dulcis. Calomelas. Chloretum Hydrargyri.*)

R. Hydrargyri muriatici corrosivi venalis partes quatuor.

In mortario vitreo aut lapideo caute et quidem spiritus vini aliquot guttas subinde inspergendo pulveratis adde

Hydrargyri depurati partes tres.

Misce terendo donec globuli hydrargyri penitus disparuerint. Mixta immitte in cucurbitam vitream oblongam, et lege artis in arenae balneo sublima. Massam sublimatam, a globulis hydrargyri liberam, contere et denuo sublima. Tunc in pulverem subtilissimum laevigatione redactam, affusa

Spiritus Vini alcoholisati quantitate sufficiente,

digere, donec hydrargyrum muriaticum corrosivum forsitan immixtum solutum fuerit. Tandem pulverem a spiritu filtratione separa, sicca et loco umbroso caute serva.

Sit pulvis albus aut flavescens, subtilissimus, ab hydrargyro muriatico corrosivo omnino liber. Hinc in aethere sulphurico coctus addendo aquam calcariae aut liquorem kali caustici aut aquam hydrosulphuratam, nullum demittat praecipitatum.

Hydrargyrum oxydatum rubrum praeparatum.

(*Mercurius praecipitatus ruber praeparatus. Oxydum hydrargyricum praeparatum.*)

R. Hydrargyri depurati libram unam.

Solve in

Acidi nitrici quantitate sufficiente.

Liquor in vase idoneo, igne primo leni postea fortiori, ad siccum evaporet. Tum adde

Hydrargyri depurati libram unam,

et ad hujus extinctionem usque tere. Pulverem in vase fictili non vitreato, latioris fundi, interdum spathula vitrea movendo, prudenter ure, donec colorem rubicundum referat. Tandem, laevigatione in pulverem subtilissimum redactum, et in loco obscuro siccatum, caute secundum leges serva.

Parari quoque potest ex hydrargyro oxydato rubro venali, si satis purum prostat, quod aquae destillatae sufficiente quantitate decoque, liquorem decantha, residuum abluendo edulcora et uti antea serva.

In aqua decoctum chartam tinctura Lacmus imbutam non rufet.

Dosis: ad Grani tertiam partem.

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(*Mercurius solubilis Hahnemanni. Oxydum hydrargyrosum.*)

R. Liquoris Hydrargyri nitrici oxydulati recenter parati quantum placet,

Aquae destillatae quantum satis,

ut sit P. spec. = 0,01. Mixtis instilla inter continuam agitationem

Liquorem Ammonii caustici Aquae destillatae partibus octo dilutum,

quamdiu praecipitatum inde natum colore nigro apparet, evitando liquoris perfectam neutralisationem. Sedimentum filtratione separatum Aqua destillata ablue, inter chartam bibulam leni calore loco umbroso sicca, et in vasis obturatis denigratisque caute secundum legem serva.

Sit coloris nigerrimi, absque globulis hydrargyri immixtis; candefactum ex toto volatile; in acido acetico fervido relictis globulis metallicis, in acido nitrico relicto pulvere albo ammonium et acidum nitricum nec hydrargyrum muriaticum mite continenti, solubile.

Hydrargyrum stibiato-sulphuratum.

(*Aethiops antimonialis.*)

R. Stibii sulphurati nigri laevigati uncias duas,
Hydrargyri depurati,
Sulphuris depurati singulorum unciam unam.

Misceantur, et aqua humectata modico calore terantur, donec hydrargyrum penitus oculo armato disparuerit.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(*Aethiops mineralis.*)

R. Hydrargyri depurati,
Sulphuris depurati, partes aequales.

Mixta, aqua humectata, modico calore terantur, donec hydrargyrum oculo armato plane disparuerit.

Kali aceticum.

(*Terra foliata Tartari. Acetas kalicus.*)

R. Kali carbonici e cineribus clavellatis quantum vis,
Aceti destillati quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad tertiam circiter partem evaporatione redactus, cum carbonum perfecte ustorum pul-

vere coquatur, tum filtretur, et ad neutralisationis statum, si opus est, addito aceto concentrato reductus leni calore in vase vitreo aut porcellaneo ad siccum evaporet. Sal concretum statim, ne humorem attrahat, in vas vitreum ingere, et in eo bene obturato serva.

Sit perfecte neutrum, album, et, quantum fieri potest, a salibus heterogeneis liberum. Hinc ea copia aquae solutum ut sit P. spec. = 1,230 addito pari pondere alcoholis non nimiam copiam salium demittat. Aqua hydrosulphurata solutio non coloretur nec turbetur.

Kali carbonicum acidulum.

(*Bicarbonas kalicus cum Aqua.*)

R. Kali carbonici e Tartaro unciam unam.

Solve in

Aquae destillatae uncia una et dimidia.

Solutionem immitte in vas librarum decem aquae capax,

Gase Acidi carbonici

repletum. Vas epistomio bene obturatum per tres dies repone, epistomium subinde levando. Crystallos emissas ab humido separa, parva Aquae destillatae copia ablue, in temperatura media sicca et in vase bene obturato serva.

Sit albissimum, saporis mitis, in aëre non humectans, in aquae partibus quatuor solubile, qua solutione liquor magnesiae sulphuricae non turbetur.

Kali carbonicum e cineribus clavellatis.

(*Carbonas kalicus e Cineribus clavellatis.*)

R. Kali carbonici crudi, terra silicea soluta non nimis inquinati, partem unam.

Infunde

Aquae communis ferventis partes duas.

Liquor filtratus evaporet, donec cuticula appareat, tum per aliquot dies seponatur, ut salia neutra in crystallos concrescant. Dein liquor decanthetur et evaporatione in sal siccum redigatur. Hic in

Aquae destillatae frigidae quantitate aequali

solvatur, solutio filtretur et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vasis bene obturatis.

Sit albissimum, terra silicea ac alumina, metallis et salibus heterogeneis, quantum fieri potest, liberum, neutralisatione ope acidi nitrici, qua terra silicea separatur, liquore ammonii caustici ac sulphurati et liquore barytae nitricae ac argenti nitrici dignoscendum.

Kali carbonicum e Tartaro.

(*Alkali vegetabile aëratum. Sal Tartari. Carbonas kalicus e Tartaro.*)

Tartarus crudus, vase idoneo inclusus, aut charta involutus et inter carbones positus, uratur, donec sine flamma et fumo candeat. Massa carbonacea restans Aqua destillata elixetur, liquor coloris expers filtretur, et ad siccum evaporet. Residuum in

Aquae destillatae frigidae quantitate aequali solvatur, solutio filtretur et evaporatione ad siccum redigatur. Massa obtenta trita adhuc calens in vas vitreum immittatur, in eoque bene clauso servetur.

Eodem modo kali carbonicum extrahatur e massa carbonacea, in destillatione tartari crudi residua.

Sit albissimum, salibus heterogeneis fere, terra silicea et alumina omnino liberum, quod modo supra dicto dignosci potest.

Kali causticum fusum.

(*Hydras kalicus fusus. Lapis causticus Chirurgorum.*)

Kali causticum siccum in crucibulo liquefiat. Tum in modulum effunde et bacillos fere refrigeratos statim in vas bene clausum ingestos serva.

Sit album aut parum flavescens. De inquinamentis cfr. Kali causticum siccum.

Kali causticum siccum.

(*Alkali causticum. Hydras kalicus.*)

Liquor Kali caustici evaporet in vase ferreo, donec gutta in metallum frigidum demissa, perfecte concrescat. Tum effunde, et frustula diffracta statim in vas ingere ac in eo bene obturato serva.

Sit album aut parum flavescens, acido carbonico, quantum fieri potest, liberum et terris ac salibus heterogeneis non nimis inquinatum, quod uti in kali carbonico dignoscitur.

Kali muriaticum oxygenatum seu oxymuriaticum seu chloricum depuratum.

(*Chloras kalicus depuratus.*)

Kali oxymuriaticum venale in Aquae destillatae fervidae partibus tribus solvatur et liquor filtratus seponatur ut crystalli squamularum instar enascantur. Operationem repete, quamdiu crystalli oriuntur, quas, si aliae crystalli simul exortae fuerint, elige, aqua destillata frigida ablue, sicca et serva.

Aqua destillata solutum addito liquore argenti nitrici vix turbetur.

Kali nitricum depuratum.

(*Nitrum depuratum. Nitras kalicus depuratus.*)

Kali nitricum crudum in Aquae communis fervidae duplo solvatur. Instilletur

Liquor Kali carbonici,

quamdiu solutum inde turbatur, tum liquor filtretur et seponatur, ut crystalli concrescant. Liquor residuus ad dimidium evaporatione redactus denuo seponatur, quae operatio repetenda est, quamdiu crystalli kali nitrici purae inveniuntur. Crystallos collectas bene siccatas serva.

Sit in crystallis albis, ab inquinamentis metallicis, quae colore et aqua hydrosulphurata, nec non terreis, quae in solutione addito liquore kali carbonici dignoscuntur, omnino liberum, sicuti kali muriatici liquore argenti nitrici dignoscendi, quantum fieri potest, expers.

Kali sulphuratum.

(*Hepar Sulphuris salinum. Sulphuretum Kalii cum Sulphate kalico.*)

R. Sulphuris depurati partem unam,
Kali carbonici e Tartaro partes duas.

Mixta in crucibulo satis amplo et tecto leni igne coëant in massam homogeneam, quam in laminam ferream aut in mortarium ferreum, oleo amygdalarum illitum, effunde, frigefactam grossiuscule tere, statim in vas bene claudendum ingere et serva.

Sit in partibus duabus aquae destillatae ex toto solubile. Acidis affusis gas hydrosulphuratum copiose, gas sulphurosum autem minime extricetur.

Kali sulphuratum pro Balneo.

R. Sulphuris citrini pulverati partem unam,
Kali carbonici e cineribus clavellatis siccati partes duas.

Tum eodem modo, quo kali sulphuratum, paretur et servetur.

Sit indolis praeparati praecedentis, etsi non semper ex toto solubile.

Kali sulphuricum depuratum.

(*Arcanum duplicatum dep. Tartarus vitriolatus dep. Sulphas kalicus depuratus.*)

Kali sulphuricum crudum bene crystallisatum et albissimum Aqua communi frigida abluatur et siccetur.

Parari quoque potest e massa salina post destillationem acidi nitrici remanente. Hanc in Aquae communis quantitate sufficiente coquendo solve, et acidum, si abundat, cum kali carbonico neutralisa. Tum liquor filtretur, et lege artis in crystallos redigatur, quas siccatas serva.

Sit plane neutrum, ab inquinatione cupri et zinci, quae modo eodem ac in kali sulphurico crudo explorantur, prorsus, a ferro autem, quod tinctura gallarum indicatur, nec non a salibus heterogeneis, quantum fieri potest, liberum.

Kali tartaricum.

(*Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus.*)

R. Kali carbonici e cineribus clavellatis quantum vis.

Solve in

Aquae communis fervidae octuplo.

Adde successive

Tartarum depuratum,

donec effervescentia cesset. Liquorem rite neutralisatum leni calore ad siccum inspissa. Massam in

Aquae destillatae frigidae partibus decem

solve, et per horas triginta sex sepone. Tum liquor filtretur et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vasis bene obturatis.

Sit pulvis albissimus, aëris humorem facile attrahens, omnino neuter, ab inquinamentis metallicis prorsus, a salinis quantum obtineri potest, liber. Metalla immixta, scilicet ferrum et stannum, liquore ammonii hydrosulphurati

et liquore auri muriatici dignoscuntur, sales heterogenei, aut post solutionem in quatuor vel decem partibus aquae destillatae remanent, aut liquoribus argenti nitrici, barytae nitricae et ammonii oxalici explorari possunt.

Linimentum Aeruginis.

(*Oxymel Aeruginis.*)

R. Aeruginis pulveratae uncias tres,
Aceti libras duas.

Coque donec aceti tertia circiter pars supersit. Filtra et adde

Mellis despumati libras duas.

Evaporent ad libras duas. Serva, sed quod diutius asservatum nimiam copiam cupri oxydati demisit, rejice.

Linimentum saponato-camphoratum.

(*Balsamum Opodeldoc.*)

R. Saponis domestici albissimi,
Hispanici albi singulorum siccatorum unciam unam et dimidiam,
Camphorae drachmas tres.

Solve in cucurbita vitrea leni calore in

Spiritus Vini rectificatissimi unciis viginti.

Solutionem adhuc calentem filtra. Tum adde

Olei Thymi drachmam semis,
Rorismarini drachmam unam,
Liquoris Ammonii caustici drachmas tres.

Liquor in vitris bene clausis refrigeretur, et tum massam gelatinae similem referens in iisdem servetur.

Sit recens flavum, subdiaphanum et opalescens, tempore opacum, albidum, crystallos nullas aut paucissimas continens.

Liquor Ammonii acetici.

(*Liquor Acetatis ammonici.*)

R. Liquoris Ammonii caustici quantum vis.

Adde

Aceti concentrati quantum ad neutralisationem requiritur.

In vasis bene obturatis serva.

Sit limpidus, coloris expers, odoris ac saporis non empyreumatici, ex toto volatilis, et, quantum obtineri potest, neuter. Cave ab inquinamentis in aceto concentrato et liquore ammonii caustici interdum occurrentibus. P. spec. = 1,030—1,040.

Liquor Ammonii anisatus.

(*Spiritus Salis ammoniaci anisatus.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi uncias duodecim,
Olei Anisi drachmas tres.

Solutis adde

Liquoris Ammonii caustici uncias tres.

Sit limpidus, flavescens et ex toto volatilis. P. spec. = 0,875—0,885.

Liquor Ammonii carbonici.

(*Spiritus Salis ammoniaci aquosus. Liquor Carbonatis ammonici.*)

R. Ammonii carbonici depurati partem unam,
Aquae destillatae partes quinque.

Solve et decantha.

Sit limpidus, coloris expers, ex toto volatilis et ab heterogeneis liber, quod uti in ammonio carbonico crudo dictum est exploratur. P. spec. = 1,050—1,060.

Liquor Ammonii caustici.

(*Spiritus Salis ammoniaci cum Calce viva paratus. Liquor Ammonii.*)

R. Calcariae ustae libram unam.

Conspergatur sufficiente quantitate Aquae fontanae calidae, ut in pulverem fatiscat. Huic in retortam vitream aut in vesicam destillatoriam, alembico et tubo refrigeratorio stanneis munitam, immisso adde

Ammonii muriatici crudi contriti libram unam,
Aquae fontanae libras quatuor.

Applicetur statim excipulum amplum

Aquae destillatae libram unam et dimidiam

continens. Juncturis bene clausis destillent leniter libra una et dimidia, ut sint liquoris librae tres.

Sit limpidus, coloris, ammonii muriatici, calcariae et metallorum prorsus, acidi carbonici, quantum fieri potest, expers et ex toto volatilis. Prima post neutralisationem ope acidi nitrici liquore argenti nitrici et ammonii

oxalici, metalla aqua hydrosulphurata explorantur. Acidum carbonicum admixta aqua calcariae sedimento sese prodit. P. spec. = 0,965 — 0,975.

Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

(*Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Liquor Carbonatis ammonici cum oleo empyreumatico.*)

Liquor ammonialis, in paratione ammonii carbonici pyro-oleosi una cum ammonio carbonico ac oleo empyreumatico obtentus, ab his separatus, destillationi subjiciatur, donec dimidia pars elicita fuerit.

Sit limpidus, flavescens, ex toto volatilis. P. spec. = 1,050 ad 1,060.

Liquor Ammonii succinici.

(*Liquor Cornu Cervi succinatus. Liquor Succinatis ammonici.*)

R. Acidi succinici depurati unciam unam.

Solve in

Aquae destillatae octuplo

et adde

Ammonii carbonici pyro-oleosi sicci, quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquorem filtratum in vasis bene obturatis serva.

Sit limpidus, flavescens, tempore subfuscus, omnino neuter, et ex toto, vaporibus tussim excitantibus, volatilis. P. spec. = 1,045 — 1,055.

Liquor Ammonii vinosus.

(*Spiritus Salis ammoniaci vinosus.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi partes duas,
Liquoris Ammonii caustici partem unam.

Misce.

Sit limpidus, coloris expers, ab heterogeneis plane liber, quod eodem modo ac in liquore ammonii caustici explorari potest. P. spec. = 0,900—0,910.

Nota. *Omnia praeparata, quae ammonium purum aut carbonicum continent, in vasis epistomio vitreo munitis servari oportet.*

Liquor Ferri muriatici oxydati.

(*Liquor Subbichloreti Ferri.*)

R. Ferri oxydati rubri uncias quatuor.

Coque in

Acidi muriatici unciis sedecim

per horas duas in cucurbita vitrea. Liquor filtratus in balneo vaporis evaporet, donec p. spec. sit = 1,495—1,505. Serva in vase bene obturato.

Sit coloris e rubro fusci, cupri expers.

Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

R. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici depurati singulorum grana viginti quatuor.

Solve in

Aquae destillatae libris duabus.

Caute secundum leges serva.

Sit limpidus, coloris expers.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydati.

(*Mercurius nitrosus. Liquor Nitratis hydrargyrici.*)

R. Hydrargyri oxydati rubri unciam unam.

Solve in

Acidi nitrici quantitate sufficiente,

et adde

Aquae destillatae tantum

ut pondus totius sit unciarum octo. Liquorem decanthatum in vase bene obturato loco obscuro caute secundum leges serva.

Sit limpidus, absque colore, et acidi muriatici ac hydrargyri oxydulati expers. P. spec. = 1, 175 — 1, 185. Acidum muriaticum liquore argenti nitrici affuso, oxydulum addito natro muriatico cognoscitur.

Dosis: ad Guttam unam.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.

(*Mercurius nitrosus alior. Liquor Nitratis hydrargyrosi.*)

R. Hydrargyri depurati uncias quatuor.

Affunde in vase idoneo

Acidi nitrici uncias duas,

Aquae destillatae drachmis tribus

dilutas. Vas loco frigido, et si necesse est, in aliud aqua frigida repletum positum, seponatur, quamdiu crystalli enascuntur, quas a liquore et hydrargyro remanente separa, et inter chartam bibulam albam premendo absque calore sicca. Harum crystallorum partibus octo inter terendum adde

Acidi nitrici partem unam

et tum

Aquae destillatae fervidae quantum sufficit

ut p. spec. solutionis sit = 1,100—1,110, quam filtratam super hydrargyro depurato in vase bene clauso caute secundum leges serva.

Dosis: ad guttas quinque.

Liquor Kali acetici.

(*Liquor Terrae foliatae Tartari. Liquor Acetatis kalici.*)

R. Kali acetici maxime sicci libram unam.

Solve in

Aquae destillatae libris duabus,

et filtra.

Sit limpidus, absque colore, aut parum flavescens. P. spec. = 1,140—1,150.

Liquor Kali carbonici.

(*Oleum Tartari per deliquium. Liquor Carbonatis kalici.*)

R. Kali carbonici e Tartaro maxime sicci libram unam.

Solve in

Aquae destillatae libris duabus,
et filtra.

Sit limpidus, absque colore. P. spec. = 1,325 — 1,335.

Nota. *Ad usum pharmaceuticum e kali carbonico e cineribus clavellatis parare licet.*

Liquor Kali caustici.

(*Lixivium causticum. Liquor Hydratis kalici.*)

R. Kali carbonici e cineribus clavellatis libras duas cum dimidia.

In vas ferreum immissis affunde

Aquae communis fervidae duplum.

Tunc successive ingere

Calcariae ustae pulveratae libras tres.

Coque per horae quadrantem, agitando spathula ferrea. Quamdiu liquoris portiuncula exemta, cum acido quocunque mixta, producit effervescentiam, calcaria usta est addenda. Tum cola per linteum antea bene elotum. Liquor in lagenas vitreas obturandas immissus postquam subsiderit, decanthetur et evaporet, donec justum pondus specificum acquisiverit. In lagenis vitreis bene obturatis caute serva.

Esto limpidus, absque colore aut parum flavescens, ab acido carbonico, quantum fieri potest, liber. P. spec. = 1,330 — 1,340.

Eodem modo paretur et servetur:

Liquor Natri caustici (*Liquor Hydratis natrici,*) nisi quod natri carbonici partes quinque ad calcariae ustae partes tres sumendae sunt.

Liquor pyro-tartaricus.

(*Spiritus Tartari.*)

R. Tartari crudi quantum vis.

Fiat destillatio ex retorta, ad dimidiam partem repleta, igne sensim aucto, in excipulum satis capax, et tubulo, per quem transeat gas impetuose prorumpens, instructum. Destillatione finita, liquorem elicitum ab oleo empyreumatico filtratione repetita libera et bene serva.

Sit limpidus et flavescens. P. spec. = 0,995 — 1,005.

Liquor Saponis stibiati.

(*Sulphur auratum liquidum. Tinctura Antimonii Jacobi.*)

R. Sulphuris stibiati aurantiaci unciam unam.

Solve digerendo in

Liquoris Kali caustici sufficiente quantitate.

Adde

Saponis medicati rasi uncias tres,

Spiritus Vini rectificatissimi,

Aquae destillatae singulorum uncias sex.

Digerantur leni calore, subinde agitando. Liquorem per chartam bibulam albam filtratum in vasis bene obturatis serva.

Sit limpidus, coloris e fusco flavi, qui, acido sulphurico affuso, cum extricatione gasis hydrosulphurati et liquoris turbatione in colorem aurantiacum transeat. P. spec. = 1,100 — 1,110.

Liquor Stibii muriatici.

(*Butyrum Antimonii. Liquor Chloreti Stibii.*)

R. Stibii oxydati grisei uncias duas,
Acidi muriatici uncias sex.

Coque leni calore in cucurbita vitrea, donec unciae duae evaporaverint. Liquori ope filtri a pulvere remanente separato adde, si opus fuerit,

Aquae destillatae quantum satis

ut p. spec. sit = 1,345 — 1,355. Caute serva in vase epistomio vitreo bene obturato.

Sit limpidus, flavescens, aquae destillatae magna copia mixtus copiosum praebeat praecipitatum album.

Magnesia carbonica.

(*Magnesia Salis amari. Carbonas magnesicus cum Aqua.*)

R. Magnesiae sulphuricae depuratae,
Kali carbonici e cin. clav. a terra silicea liberi singulorum eandem quantitatem.

Solvantur seorsim illa in sextuplo, hoc in quadruplo Aquae communis ferventis. Soluta filtrata commisceantur atque agitentur spathula lignea, tum coquantur per horam dimidiam, Aqua communi fervida diluantur et per linteum colentur. Quod in linteo remanet edulcoretur et leni calore siccetur.

Magnesia sulphurica depurata.

(*Sal amarum depuratum. Sulphas magnesicus cum Aqua depuratus.*)

Magnesia sulphurica cruda solvatur in Aquae communis fervidae pari pondere. Solutio filtretur et lege artis in crystallos redigatur, quas siccatas serva.

Magnesia usta.

(*Magnesia.*)

Magnesia carbonica in crucibulo tecto igne fortiori uratur, donec particula, cum aqua mixta, acido quovis addito, nullam producat effervescentiam. Refrigerata in vitro bene obturato servetur.

Mel despumatum.

R. Mellis communis libras sedecim,
Aquae communis libras octo.

Coquantur in vase stanneo, et spuma in superficie orta auferatur cochleari, foraminibus parvis instructo. Liquor coletur per manicam, e panno confectam, et inspissetur ad syrupi spissitudinem. Serva loco frigido.

Sit limpidum, e flavo fuscum, nec odoris, nec saporis empyreumatici, aut acidi.

Mel rosatum.

R. Florum Rosarum incarnatarum uncias octo.
Affunde
Aquae communis fervidae libras quatuor.

Seponatur per noctem, tum exprime et cola. Liquor inde obtentus, cum

Mellis despumati libris octo

mixtus, leni igne ad syrupi spissitudinem evaporet. Serva loco frigido.

Sit limpidum, coloris fusci, et odoris ac saporis empyreumatici aut acidi expers.

Mixtura oleoso-balsamica.

(*Balsamus Vitae Hofmanni.*)

R. Olei Lavandulae,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Corticis Citri,
Macidis,
Majoranae,
Rutae,
Florum Aurantii singulorum scrupulum unum,
Balsami Peruviani nigri drachmam unam,
Spiritus Vini Gallici fortioris uncias decem.

Seponantur per aliquot dies loco frigido subinde agitando. Tum per gossypium filtra et in vase bene clauso serva.

Sit liquor limpidus, flavus, odoris aromatici. P. spec. = 0,850—0,860.

Mixtura sulphurico-acida.

(*Elixir acidum Halleri.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi uncias sex.

Successive instilletur

Acidi sulphurici rectificati venalis uncia una.

Serva in vase epistomio vitreo bene munito.

Sit liquor limpidus, absque colore, odoris non sulphurosi. P. spec. = 0,935 — 0,945.

Mixtura vulneraria acida.

(*Aqua vulneraria Thedeni.*)

R. Aceti libras tres,

Spiritus Vini rectificati libram unam cum dimidia,

Acidi sulphurici dilnti uncias sex,

Mellis despumati libram unam.

Mixta filtra et bene serva.

Esto liquor limpidus et flavescens. P. spec. = 1,050 — 1,060.

Natrum aceticum.

(*Terra foliata Tartari crystallisata. Acetas natricus cum Aqua.*)

R. Natri carbonici crudi quantum vis,

Aceti destillati quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor filtratus lege artis in crystallos redigatur, quas siccas in vase bene obturato serva.

Sint crystalli albae, fatiscentes, in aquae partibus tribus, in alcoholis viginti quatuor solubiles, ab inquinamentis metallicis prorsus, a salibus heterogeneis, in natro carbonico crudo occurrentibus, quantum fieri potest, liberae, quod uti in natro carbonico crudo dignoscitur.

Natrum carbonicum acidulum.

(*Bicarbonas natricus cum Aqua.*)

R. Natri carbonici depurati unciam unam semis.

Solve in

Aquae destillatae unciis tribus cum dimidia.

Liquorem immitte in vas, librarum decem capax, Gase Acidi carbonici repletum, et tum eodem modo, qui in praeparatione kali carbonici aciduli praescriptus est, procedatur. In vase bene obturato loco non nimis calido serva.

Sint crystalli albae crustaceae, saporis mitis, ceterum ejusdem indolis ac kali carbonicum acidulum, sed in tredecim aquae partibus solubiles.

Natrum carbonicum depuratum.

(*Alkali minerale depuratum. Sal Sodae depuratus. Carbonas natricus cum Aqua depuratus.*)

Natrum carbonicum crudum solvatur in Aquae destillatae quantitate sufficiente, solutio filtretur, et lege artis

in crystallos redigatur, quae collectae in vase bene obturato loco frigido serventur.

Sint crystalli aut massae crystallinae, albae, indole a natro carbonico crudo non discrepantes, sed ab inquinamentis metallicis omnino, a salinis, quantum fieri potest, liberae, quod uti in natro carbonico crudo dignoscitur.

Natrum carbonicum depuratum siccum.

(*Carbonas natricus depuratus.*)

Crystallos Natri carbonici depurati grossiuscule tritas loco aprico aut moderato hypocausti calori expone, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant, quem in vasis bene obturatis loco sicco serva.

Eodem modo paretur et servetur:

Natrum sulphuricum depuratum siccum. (*Sulphas natricus depuratus,*) e Natro sulphurico depurato crystallisato.

Natrum phosphoricum.

(*Soda phosphorata. Phosphas natricus cum Aqua.*)

R. Acidi phosphorici depurati quantum vis,
Aquae destillatae octuplum.

Mixtis sensim addatur

Natrum carbonicum crudum,

donec hoc aliquantulum praevaleat. Liquorem filtratum lege artis in crystallos redige, quas collectas et siccas in vase bene clauso loco frigido serva.

Sint crystalli albae, recentes pellucidae, dein opacae, parum pulverulentae, saporis salsi mitis, tubo ferruminatorio in globulum fundendae, in aquae partibus quatuor solubiles, acido sulphurico non nimis inquinatae, quod dignoscitur, si solutio addito liquore barytae nitricae non nisi exiguum sedimentum album, digestione in acido nitrico non solvendum, deponit.

Natrum sulphuricum depuratum crystallisatum.

(*Sal mirabile Glauberi depuratum. Sulphas natricus cum Aqua depuratus.*)

Natrum sulphuricum crudum in Aquae communis quantitate sufficiente solvatur. Solutio filtretur et lege artis in crystallos redigatur.

Hoc praeparatum parare licet etiam e residuo salino ex destillatione acidi muriatici obtento. Ad hunc finem residuum contritum et in Aqua communi coquendo solutum misceatur cum

Natri carbonici crudi quantitate sufficiente

ut hoc aliquantulum praevaleat, et tum liquor lege artis in crystallos redigatur. Siccas loco frigido serva.

Sint crystalli aut massae crystallinae albae, indolis natri sulphurici crudi, non acidae, ab inquinamentis metallicis

prorsus, a natro muriatico et calcaria sulphurica vero, quantum fieri potest, liberae, quod uti in natro sulphurico crudo dignoscitur.

Oleum Absinthii aethereum.

R. Herbae Absinthii cum semine fere maturo, modice siccatae, quantum vis,
Aquae fontanae octuplum.

Fiat destillatio e vesica destillatoria sub continua aquae bullitione, quamdiu aqua oleo gravida prodit. Obtentum oleum separetur. Aqua stillatitia supra novam Herbae Absinthii copiam, addendo Aquae communis quantitatem sufficientem, denuo destillet, oleum separetur, et haec operatio repetatur, donec olei desiderata quantitas obtenta fuerit.

Esto coloris e viridi fusci aut flavo-viridis, spissiusculum.

Eodem modo parentur:

Oleum Amygdalarum amararum aethereum, coloris flavi, aqua gravius, maxima cautione, instar Acidi hydrocyanici, servandum, cujus
Dosis: ad guttam unam,

Aurantiorum Corticum, coloris flavi,

Calami, coloris e rubro flavescentis,

Oleum Chamomillae simplex, coloris intense coerulei, consistentia fere butyri,

Cumini, coloris e virescente flavi,

Foeniculi, coloris flavescentis, calore 4—5° laminas crystallinas formans,

Juniperi Baccarum, coloris albidi vel flavescentis,

Majoranae, coloris e viridi flavescentis tandem fusci, facile lentescens,

Menthae crispae, coloris e viridi flavi,

Rutae, coloris flavi,

Sabinae, coloris ex albido flavi, et

Valerianae, coloris e flavo virescentis.

Nota. *Omnia olea aetherea in lagenulis bene clausis loco obscuro serventur. Odorem vegetabilis, e quo parata sunt, spargant.*

Oleum Absinthii coctum.

(Oleum Absinthii infusum.)

R. Herbae Absinthii libram dimidiam,
Olei Olivarum libras quatuor.

Macera per aliquot horas, tum coque leni calore, donec herbae aliquantulum, carbonibus ardentibus immissum, absque crepitatione deflagret. Postea oleum exprime, cola et bene serva.

Sit limpidum, coloris e flavo viridis.

Eodem modo parentur et serventur:

Oleum Chamomillae coctum, coloris flavo-viridis, et

Hyoscyami coctum, coloris viridis.

Oleum Amygdalarum.

Ex Amygdalis dulcibus recentibus contusis, et sacco cilicino, aut cannabino inclusis, ope preli, laminis in aqua fervente tepefactis, exprimatur oleum, quod postquam faeces resederunt, in vase bene clauso servetur.

Sit coloris flavi, odoris fere expers, et frigore non spissescat.

Eodem modo parentur:

Oleum Lini rec. paratum, coloris pallide flavi,

Nucum Juglandis, (e nucleis,) bene servandum, coloris flavi, odoris expers, et

Papaveris rec. paratum, coloris flavi, odore fere nullo.

Ad paranda olea expressa frigide parata preli laminae non tepefactae adhibeantur.

Oleum animale aethereum.

(*Oleum animale Dippelii.*)

R. Olei animalis foetidi quantum placet.

Infundatur cucurbitae vitreae, ope infundibuli, ne cucurbitae latera inquinentur. Tum alembico et vase recipiente applicatis beneque luto clausis, fiat destillatio, lenissimo balnei arenae calore, quamdiu oleum tenue elicitur. Oleum hoc modo obtentum eadem cautione cucurbitae novae cum aquae quadruplo infundatur, et, applicato alembico ac vase recipiente purissimo, blando calore iterum destillet, quamdiu limpidissimum, aquae instar, apparet. Immittatur illico lagenulis vitreis exacte epistomio vitreo obturandis, inverse sub aqua demergendis et loco obscuro servandis.

Sit limpidissimum, coloris expers aut parum flavescens, odoris gravissimi et aromatici.

Oleum Cacao.

(*Butyrum Cacao.*)

Cacao leniter tosta, a corticibus liberata, contusa et sacco cannabino inclusa, aquae bullientis vapore impraegna, et ope torcularis, cujus laminae in aqua fervida calefactae sint, exprime. Oleum sebaceum, loco calido aut sub aqua fervida liquatum, post refrigerationem a sedimento impuro separa.

Sit coloris e flavescenti albi, sebo ovillo solidius, calore manus emolliendum, saporis et odoris rancidi expers.

Oleum Cajeputi rectificatum.

R. Olei Cajeputi quantum vis,
Aquae fontanae quantum sufficit.

Fiat destillatio e retorta vitrea, quamdiu coloris expers oleum prodit.

Oleum Chamomillae citratum.

R. Florum Chamomillae vulgaris sine stipitibus currente anno collectorum libras sexaginta.

In vesicam destillatoriam immissis adde

Olei Corticis Citri uncias tres,

nec non

Aquae fontanae quantitatem sufficientem,

et fiat destillatio. Oleum ab aqua stillatitia separa.

Sit coloris saturati coerulei et specifica florum Chamomillae fragrantia praeditum.

Nota. *Hocce oleum dispensatur, nisi oleum Chamomillae aethereum purum praescriptum fuerit.*

Oleum Chamomillae terebinthinatum.

R. Florum Chamomillae vulgaris absque stipitibus libras sexaginta.

In vesicam destillatoriam immissis adde

Olei Terebinthinae uncias duodecim,
Aquae fontanae quantum satis.

Fiat destillatio, qua peracta ab aqua stillatitia oleum separetur.

Sit coloris coerulei dilutioris.

Oleum Galbani.

R. Galbani libras duas,
Aquae fontanae octuplum.

Fiat destillatio e vesica destillatoria, quamdiu oleum ab empyreumate liberum prodit. Oleum limpidum, aquae destillatae innatans, collige.

Sit coloris albidi aut flavescentis.

Eodem modo paretur:

Oleum Myrrhae, coloris e fuscescenti flavi.

Oleum Lini sulphuratum.

(*Corpus pro Balsamo Sulphuris* s. *Balsamum Sulphuris simplex.*)

R. Olei Lini partes octo,
Sulphuris citrini pulverati partes duas.

In vase terreo vitreato aut ferreo capaci et satis alto coque spathula semper movendo, donec post effervescentiam in massam homogeneam elasticam nigro-fuscam coëant.

Oleum Menthae crispae terebinthinatum.

R. Herbae Menthae crispae libras triginta.

In vesicam destillatoriam immissis adde

Olei Terebinthinae libras duas,
Aquae fontanae quantum satis.

Fiat destillatio. Oleum ab aqua stillatitia separa et serva. Sit coloris expers aut flavescens.

Oleum Succini rectificatum.

Oleum Succini crudum cum Aquae fontanae octuplo mixtum e retorta vitrea destillet, ita ut tertia pars prioris remaneat.

Sit coloris flavescentis.

Eodem modo parentur:

Oleum Terebinthinae rectificatum, coloris expers, et

Petroleum rectificatum, coloris expers aut flavescens.

Oleum Terebinthinae sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris terebinthinatum.*)

R. Olei Lini sulphurati partem unam,
Terebinthinae partes tres.

Digerendo solutum in vase bene clauso serva.
Sit limpidum, rubro-fuscum.

Oxymel scilliticum.

R. Aceti scillitici libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Mixta in lebete stanneo coquantur ad mellis liquidi spissitudinem. In vasis bene obturatis loco frigido serva.

Sit limpidum, fuscum, ab empyreumate liberum ac saporis amari acris.

Oxymel simplex.

R. Aceti libram unam,
Mellis despumati libras duas.

Mixta in lebete stanneo coque ad mellis liquidi spissitudinem. Serva loco frigido in vasis bene obturatis.

Sit limpidum, flavo-fuscum et ab empyreumate liberum.

Pasta Glycyrrhizae seu Liquiritiae.

R. Radicis Glycyrrhizae glabrae grossiuscule concisae uncias duas.

Macera per noctem in
Aquae communis libris octo.

In infuso colato solvantur
Gummi Mimosae electi librae duae cum dimidia,
Sacchari albissimi libra una cum dimidia.

Colatum leni igne, sine agitatione et caute evitando empyreuma, evaporet, donec gutta, laminae metallicae frigidae instillata, commota fluere desinat. Tunc, remota pellicula, caute effunde in sartaginem calidam, et ex hac, postquam bullae disparuerint, in cistulas planas, e laminis ferreis stanno obductis paratas, et tantillo olei amygda-

larum inunctas. Pastam modico calore sufficienter exsiccatam, et in taleolas scissam, loco sicco serva.

Sit coloris e fusco flavi, diaphana, et ab empyreumate libera.

Pasta gummosa.

(*Loco Pastae de Althaea.*)

R. Gummi Mimosae electi,
Sacchari albissimi singulorum libras duas.

Solve in

Aquae communis libris octo.

Cola, et liquor subsidendo ac decanthando depuratus in lebete cupreo purissimo leni calore spathula lignea continue agitando ad mellis spissitudinem evaporet. Lebete ab igne remoto agitetur sedulo ac celeriter, ut albescat. Tum, lebete iterum igni lenissimo admoto, per vices admisceantur Albumina Ovorum recentium cum Aquae Florum Aurantii unciis duabus in spumam densam redacta numero quindecim, et agitentur, donec massae aliquantulum exemptum a spathula mota non amplius defluat. Tandem effundatur in capsulas papyraceas, supra telam, *gaze* dictam, expansam positas, bene obtegendas, et loco calido caute exsiccetur. In taleolas scissam loco sicco serva.

Sit albissima, levis, haud tenax.

Plumbum aceticum depuratum.

(*Saccharum Saturni dep. Acetas plumbicus cum Aqua dep.*)

R. Plumbi acetici crudi partes duodecim.

Solve in

Aquae destillatae calidae quantitate sufficiente, admiscendo

Aceti destillati partem unam.

Liquor filtretur et in crystallos redigatur. Fluidum remanens, eadem Aceti destillati copia addita, evaporet ut denuo crystallos demittat, et operatio repetatur, quoties crystalli coloris expertes obtinentur. Caute in vasis bene obturatis loco obscuro serva.

Rejiciantur crystalli quae in aqua solutae sedimentum demittunt.

Dosis: ad Granum unum.

Plumbum carbonicum.

(*Carbonas plumbicus.*)

R. Plumbi acetici crudi quantum lubet.

Solve in

Aquae destillatae sufficiente quantitate.

Filtra et adde

Natri carbonici depurati in Aqua destillata soluti, quantum ad praecipitationem sufficit.

Praecipitatum sedulo edulcoratum ope filtri separa et sicca. Caute serva.

Sit coloris albissimi.

Pulpa Prunorum depurata.

Pulpa Prunorum cruda addita Aquae communis quantitate sufficiente per cribrum setaceum trajecta evaporet

in lebete stanno obducto ad extracti spissioris consistentiam. Singulis pulpae libris admisceantur

Sacchari albi pulverati unciae duae.

Servetur loco frigido.

Pulpa Tamarindorum.

R. Tamarindorum quantum vis.

Digere in Aquae communi fervida et tere per cribrum setaceum. Trajectum blando calore ad extracti spissioris consistentiam in lebete stanno obducto evaporet. Singulis pulpae libris tunc admisce

Sacchari albi pulverati uncias duas.

Serva loco frigido.

Pulvis aromaticus.

R. Cassiae cinnamomeae pulveratae uncias duas,
Cardamomi minoris excorticati pulverati unciam unam,
Radicis Zingiberis,
Piperis albi singulorum pulveratorum unciam semis.

Misce et in vase bene obturato serva.

Pulvis Glycyrrhizae seu Liquiritiae compositus.

(*Pulvis pectoralis.*)

R. Foliorum Sennae,
Radicis Glycyrrhizae echinatae aut glabrae decorticatae singulorum pulveratorum uncias sex,

Sacchari albi pulverati libras tres,
Seminis Anisi vulgaris pulverati uncias duas,
Sulphuris depurati uncias quatuor.

Misceantur.

Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

(*Pulvis Doweri.*)

R. Kali sulphurici depurati pulverati uncias duas,
Opii,
Radicis Ipecacuanhae singulorum pulveratorum drachmam unam.

Misce exacte et caute secundum leges serva.

Nota. *Pulveris hujus grana viginti continent Opii granum unum.*

Resinae Jalapae.

R. Radicum Jalapae quantum vis.

In pulverem grossiusculum redactis affunde in vase idoneo

Spiritus Vini rectificati quantum satis,

ut radices ad pollicem usque contegat. Digerantur leni calore per horas quadraginta octo, exprimantur et alia Spiritus Vini rectificati quantitate denuo digerantur. Ex tincturis commixtis et filtratis, addita Aquae communis quarta circiter parte, e vesica destillatoria sedulo purificata aut e retorta vitrea destillando eliciatur spiritus. Re-

sina subsidens separata abluatur aqua fervida, quamdiu aqua colore imbuta defluit, et in aquae balneo exsiccata in bacillos formetur. Caute serva.

Sit e fusco nigra, bene sicca et in aqua aethereque frigido non solvenda.

Eodem modo paretur:

Resina Ligni Guajaci.

Sapo jalapinus.

R. Resinae Jalapae,
Saponis medicati rasi singulorum uncias duas,
Spiritus Vini rectificati quantum requiritur,

ut leni digestione solvantur. Solutio ad massae pilularis consistentiam evaporet, ita ut totius massae remanentis pondus sit unciarum quatuor cum dimidia.

Sit e fusco griseus, tritus ex albo griseus.

Sapo medicatus.

Liquori Natri caustici recenter parato in vase figulino admisce

Olei Olivarum Provincialis recentissimi duplum.

Seponatur vas loco temperato, et per vices sedulo agitetur massa spathula lignea, donec homogenea appareat, ac spissescere incipiat. Tum effundatur in cistas ligneas planas et seponatur loco non nimis calido. Indurata scindatur in taleolas, quas modico calore exsiccatas bene serva.

Sit durus, albus, lubricus, nec oleosus, nec nimis alkalinus, nec rancidus.

Species aromaticae.

(Loco Specierum pro Cucuphis.)

R. Herbae Majoranae,
Rorismarini,
Serpylli,
Thymi,
Florum Lavandulae singulorum uncias duas,
Caryophyllorum unciam unam.
Minutim concisa misceantur.

Species ad Cataplasma.

R. Herbae Malvae,
cum flore Meliloti citrinae,
Althaeae,
Seminis Lini singulorum partes aequales.
Grossiuscule pulverata misceantur.

Species ad Decoctum Lignorum.

R. Ligni Guajaci libras duas,
Radicis Bardanae,
Saponariae singularum libram unam,
Glycyrrhizae echinatae,
Ligni Sassafras singulorum libram dimidiam.
Concisa misceantur.

Species ad Fomentum.

R. Strobilorum Lupuli libram unam,
Florum Chamomillae vulgaris,

Florum Lavandulae,
Herbae Rorismarini,
Serpylli singulorum uncias tres.
Concisa misceantur.

Species ad Gargarisma.

R. Herbae Althaeae,
Florum Sambuci,
Malvae vulgaris singulorum par pondus.
Concisa misce.

Species ad Infusum pectorale.

R. Radicis Althaeae uncias quatuor,
Glycyrrhizae glabrae aut echinatae unciam unam et dimidiam,
Iridis Florentinae unciam dimidiam,
Herbae Farfarae uncias duas,
Florum Rhoeados,
Verbasci,
Seminis Anisi stellati singulorum unciam unam.
Concisa misceantur.

Species resolventes.

R. Herbae Melissae,
Origani vulgaris sine stipitibus singularum uncias sex.

Florum Chamomillae vulgaris,
Lavandulae,
Sambuci singulorum uncias duas.
Concisa misce.

Species ad suffiendum.

(*Species pro Fumo.*)

R. Olibani,
Benzoës,
Succini singulorum libram dimidiam,
Florum Lavandulae uncias duas.
Contusa et concisa misce.

Spiritus Angelicae compositus.

(*Loco Spiritus theriacalis.*)

R. Radicis Angelicae libram unam,
Herbae Scordii libram dimidiam,
Radicis Valerianae,
Baccarum Juniperi singularum uncias tres.
Concisis et contusis in vesica destillatoria adde
Spiritus Vini rectificati libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillando eliciantur librae sex,
in quibus solve
Camphorae unciam unam cum dimidia.
Sit limpidus, et addita aqua valde turbetur.

Spiritus camphoratus.

R. Camphorae unciam unam,
Spiritus Vini rectificati libram unam.
Stent loco frigido, donec camphora soluta fuerit.
Sit limpidus, et aqua affusa camphoram demittat.

Spiritus Cochleariae.

R. Herbae Cochleariae florentis recentis libras duodecim.
Concisis affunde
Spiritus Vini rectificati libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillent librae sex.

Spiritus Formicarum.

R. Formicarum recenter collectarum a quisquiliis mundatarum libras duas,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae fontanae singulorum libras quatuor.
Destillando elice leni igne libras quatuor.

Spiritus Lavandulae.

R. Florum Lavandulae libram unam,
Spiritus Vini rectificati libras quatuor,
Aquae fontanae quantum satis.
Post macerationem per viginti quatuor horas destillando elice libras quatuor.

Eodem modo parandi sunt:

Spiritus Juniperi, e baccis,
Rorismarini et
Serpylli.

Spiritus Masticles compositus.

(*Spiritus matricalis.*)

R. Mastiches,
Myrrhae,
Olibani singulorum uncias tres,
Spiritus Vini rectificati libras sex.

Macera per horas viginti quatuor, et destillando elice libras quatuor cum dimidia.

Nota. *Omnes spiritus destillati, in vasis bene obturatis servandi, sint limpidi, absque colore, et odorem corporis, super quod destillarunt, fortiter spargant.*

Spiritus muriatico-aethereus.

(*Spiritus Salis dulcis.*)

R. Natri muriatici uncias sedecim,
Mangani oxydati nativi pulverati uncias sex.

In retortam immissis adde

Acidi sulphurici crudi uncias duodecim,

antea cum

Spiritus Vini rectificatissimi unciis quadraginta

octo

caute mixtas. Destillent unciae triginta sex. Si acidum aut manganum muriaticum adfuerit, destillatum supra

Magnesiae ustae unciam unam

rectifica. In vitris bene obturatis servetur.

Sit limpidus, et coloris et acidi nec non mangani muriatici expers, quod liquore argenti nitrici et kali carbonici dignoscitur. P. spec. = 0,835—0,845.

Spiritus nitrico-aethereus.

(*Spiritus Nitri dulcis.*)

R. Spiritus Vini rectificatissimi uncias viginti quatuor.

Caute misce cum

Acidi nitrici crudi unciis sex.

Destillent ex retorta cum excipulo amplo bene juncta igne lenissimo unciae viginti, quas supra

Magnesiae ustae unciam dimidiam

rectifica, et in lagenulis repletis ac bene obturatis loco frigido serva.

Sit limpidus, coloris expers, et acido, quantum fieri potest, liber. P. spec. = 0,840—0,850.

Spiritus saponatus.

R. Saponis Hispanici albi rasi libram unam,
Spiritus Vini rectificati libras tres,
Aquae Rosarum libram unam.

Solve digerendo et filtra.

Esto limpidus, ac colore flavescente.

Spiritus sulphurico-aethereus.

(*Liquor anodynus mineralis Hofmanni.*)

R. Aetheris sulphurici partem unam,
Spiritus Vini Gallici fortioris coloris expertis, vel in hujus defectu Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.

Mixta bene serva.

Sit limpidus, coloris expers, et ab inquinamentis, quae aetheri sulphurico inesse possunt, liber. P. spec. 0,855 —0,865.

Eodem modo paretur et servetur:

Spiritus acetico-aethereus, ex Aethere acetico et Spiritu Vini Gallici fortiori coloris experti, vel in hujus defectu e Spiritu Vini rectificatissimo; sit limpidus, hyalinus, nec acidus. P. spec. = 0,885 — 0,895.

Spiritus sulphurico-aethereus ferruginosus seu martiatus.

(*Liquor anodynus martialis.*)

R. Liquoris Ferri muriatici oxydati partem unam,
Aetheris sulphurici partes duas.

In vase idoneo conquassentur per horae quadrantem. Liquor supernatans separetur et hujus pars una misceatur cum

Spiritus Vini alcoholisati partibus duabus.

Miscellam in vitris oblongis bene obturatis radiis solis expone, donec color omnis evanuerit. Tum in vasis bene clausis loco aprico serva.

Sit limpidus, coloris expers aut flavescens nec fuscus. P. spec. = 0,830—0,840.

Spiritus Vini alcoholisatus.

Spiritus Vini rectificatissimus cum Kali carbonici e cineribus clavellatis siccissimi parte sedecima in vase obturato conquassetur, et operatio repetatur, donec kali carbonicum siccum remaneat. Liquor decanthatus destillet ita ut e partibus tribus transeant duae et pond. spec. totius spiritus destillati sit = 0,810—0,820. Servetur in vasis bene obturatis.

Spiritus Vini rectificatissimus.

(*Alcohol Vini.*)

Spiritus Frumenti supra Carbonum vegetabilium pulveris et Kali carbonici crudi sufficientem quantitatem leni calore destillet ut tertia pars remaneat. Quod transiit iterum destillet, ita ut pond. specific. totius destillati sit = 0,835—0,845. Bene servetur.

Spiritus Vini rectificatus.

R. Spiritus Vini rectificatissimi partes septemdecim,
Aquae destillatae partes septem.

Mixta bene serva.

P. spec. sit = 0,895 — 0,905.

Nota. *Spiritus Vini omnes sint limpidi et coloris ac olei aetherei graveolentis, Fuselöl dicti, expertes, quod non minus de omnibus praeparatis, quibus spiritus vini adhibetur, notandum.*

Spongiae ceratae.

Spongiae marinae tenues, mundatae et exsiccatae, probe immergantur Cerae flavae liquefactae, prelo fortiter exprimantur, et, ubi refrixerint, a cera superflua mundentur.

Spongiae compressae.

Spongias marinas electas, foraminibus parvis pervias, a partibus heterogeneis liberatas, in frustula oblonga scinde, aqua fervida humecta, et funiculis dense et fortiter ita constringe, ut e singulis frustulis cylindri formentur digiti circiter longitudine, qui constricti serventur.

Stannum raspatum.

Stannum raspando in scobem grossiusculam redige.

Stibium oxydatum album.

(*Antimonium diaphoreticum ablutum. Acidum stibiosum et stibicum.*)

R. Stibii venalis partem unam,
Kali nitrici depurati partes duas cum quadrante.

Pulverata et mixta injiciantur in crucibulum amplum candens. Detonatione peracta massa per semihoram candescat, postea cochleari ferreo eximatur, et adhuc calida Aquae destillatae infundatur. Tum

Acidum sulphuricum dilutum

instilla, donec hoc aliquantulum praevaleat. Tandem sedimentum elutriatum, edulcoratum et siccatum in pulverem subtilissimum redigatur.

Sit pulvis albissimus, absque odore et sapore, et in aceto destillato non solubilis.

Stibium oxydatum griseum.

(*Oxydum stibicum.*)

R. Stibii venalis laevigati uncias quatuor,
Acidi nitrici uncias octo,
Aquae destillatae uncias triginta duas.

Mixta digere in cucurbita vitrea calore 55—60° vas subinde agitando per horas duas aut donec evolutio gasis acidi nitrosi desinat. Liquore decanthato residuum primo cum

Aqua destillata

edulcora, dein cum

Natri carbonici crudi uncia dimidia

et

Aquae destillatae quantitate sufficiente

per semihoram decoque. Tandem Aqua destillata ablutum sicca et caute serva.

Sit pulvis sordide albus, qui igni tubo ferruminatorio aucto in carbone expositus facile in metallum reducatur, per se ignitus colore flavo liquescat et in vase clauso liquatus sublimetur.

Stibium sulphuratum nigrum.

(*Sulphuretum Stibii nigrum.*)

R. Stibii venalis subtilissime pulverati uncias viginti et unam,

Sulphuris depurati uncias novem.

Intime mixta et in crucibulum immissa strato Natri muriatici bene sicci crassitie pollicis tege, et igni expone, ut crucibulum per semihoram candescat. Tum crucibulum exime, et, hoc refrigerato et diffracto, massam cohaerentem, nigram, splendentem ac radiosam, a scoria et stibio, si adest, separa.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

Stibium sulphuratum nigrum praecedens laevigando in pulverem subtilissimum redige.

Succus Dauci inspissatus depuratus.

(*Roob Dauci depuratum.*)

Succus Dauci inspissatus crudus Aqua communi solvatur, post decanthationem coletur, et primo leni igne, deinde in balneo vaporis, ad syrupi spissioris consistentiam evaporet. In vasis bene obturatis loco frigido serva.

Eodem modo depuretur et servetur:

Succus Baccarum Sambuci inspissatus depuratus, (*Roob Sambuci depuratum,*)

e succo baccarum Sambuci inspissato crudo, addendo sedecimam partem Sacchari albi pulverati, qui sit colore nigro, in aqua solutione limpida e nigrescente fusca solubilis, ceterum indolis succi inspissati crudi.

Succus Glycyrrhizae seu Liquiritiae depuratus.

Succus Glycyrrhizae crudus, in frustula discissus, maceretur in Aqua communi, ut solubile solvatur. Solutum, per pannum laneum colatum, primo leni igne, tandem in balneo vaporis ad extracti densitatem inspissetur. Tunc residuum loco calido siccatum in pulverem redige, quem loco sicco serva.

Succus Juniperi inspissatus.

(*Roob Juniperi.*)

Baccae Juniperi maturae recenter collectae et contusae coquantur ex Aqua communi donec mollescant; tum modice exprimantur. Liquor expressus, subsidendo et colando depuratus, primo leni calore, deinde in balneo vaporis ad syrupi spissioris consistentiam inspissetur. In vasis bene obturatis loco frigido serva.

Sit e nigrescente fuscus, in aqua solutione turbida fusca solubilis, ab empyreumate liber.

Sulphur depuratum.

(*Flores Sulphuris loti.*)

Flores Sulphuris Aqua communi fervida repetito ablue, donec ab acido adhaerente perfecte liberi appareant. Tum siccentur et per cribrum trajecti in vase bene obturato serventur. Si post aliquod tempus acidum contraxerint, denuo aqua abluantur.

Sulphur praecipitatum.

(*Lac Sulphuris.*)

R. Liquoris Kali caustici quantum placet.

Ferventi in sartagine ferrea per vices adde

Sulphuris depurati,

quantum liquor kali caustici solvere valet. Liquorem cum triplo Aquae communis calidae mixtum per viginti quatuor horas sepone. Tum decanthatione et filtratione depurato sensim instilla

Acidi sulphurici diluti,

quantum ad praecipitandum sulphur requiritur, caute evitando gas hydrosulphuratum suffocans inde natum. Praecipitatum Aqua communi tepida sedulo ablue et loco temperato sicca. In vasis bene obturatis serva.

Sit pulvis subtilissimus colore albo aut e cinereo flavescente, in igne totus volatilis. Aqua ex ipso nil solvat.

Sulphur stibiatum aurantiacum.

(*Sulphur Antimonii auratum. Subbisulphuretum Stibii.*)

R. Liquoris Kali caustici,

Aquae communis quantitates aequales.

Coque et liquori ferventi in vase porcellaneo aut ferreo per vices inter agitandum adde

Stibium venale laevigatum,

cum

Sulphuris depurati partibus duabus et dimidia

intime mixtum, quantum liquor kali caustici solvere valet. Solutionem cum triplo pondere Aquae communis calidae mixtam et per viginti quatuor horas sepositam filtra. Tum liquori limpido denuo triplum pondus Aquae communis adde et instilla

Acidum sulphuricum dilutum,

quamdiu praecipitatum aurantiacum inde efficitur, caute evitando gas hydrosulphuratum inde exortum. Praecipitatum a liquore supernatante separa, Aqua communi repetito ablue, donec haec ab heterogeneis libera secedat. Tum filtro exceptum inter chartam bibulam preme, loco umbroso, temperatura 20° non excedente, sicca et in vasis bene obturatis loco umbroso serva.

Sit pulvis subtilis, coloris ex aurantiaco flavi, insipidus.

Sulphur stibiatum rubeum.

(*Kermes minerale. Sulphuretum Stibii rubeum.*)

R. Stibii venalis laevigati uncias octo,
Sulphuris depurati uncias quatuor,
Natri carbonici depurati sicci uncias sex.

Mixta liquefiant in crucibulo tecto, igne moderato. Massam fluentem effunde, refrigeratam pulveratam in vas idoneum

Aquae communis fervidae libris decem

repletum ingere, et per horae quadrantem, spathula movendo, decoque. Liquorem etiamnum fervidum filtra. Refrigeratum a praecipitato sponte nato ope filtri separatum massae in filtro priore residuae reaffunde, addendo

Aquae communis quantum sufficit

ut pondus liquoris sit librarum octo, denuo per horae quadrantem coque et filtra, et hanc operationem quater repete. Praecipitata his laboribus genita, Aqua destillata tepida ablue, inter chartam bibulam preme ac in loco umbroso, temperatura 20° haud excedente, exsicca, et in vase bene clauso loco umbroso serva.

Sit pulvis subtilis, levis, rubro-fuscus, insipidus.

Syrupus Althaeae.

R. Radicis Althaeae decorticatae uncias duas.

Infunde

Aquae communis fervidae libras tres.

Post refrigerationem et cola in colatura solve

Sacchari albi libras quatuor.

Tum adde

Ovorum recentium albumina in spumam redacta numero duo.

Coque, despuma et cola ut fiat syrupus flavescens.

Syrupus Amygdalarum.

(*Syrupus emulsivus.*)

R. Amygdalarum dulcium uncias octo,
amararum uncias duas.

Aqua communi frigida lotis et in mortario lapideo ope pistilli lignei contusis sensim adde

Aquae communis uncias quindecim,
Florum Aurantii uncias duas.

Exprime ope preli, cola per pannum laneum et in colatura unciarum viginti solve

Sacchari albissimi libras tres.

Calore lenissimo fiat syrupus coloris albescentis.

Syrupus Balsami Peruviani seu Indici nigri.

(*Syrupus balsamicus.*)

R. Balsami Peruviani s. Indici nigri unciam unam.

Digere in vase clauso cum

Aquae communis fervidae libra una

per aliquot horas. In liquoris post refrigerationem decanthati et filtrati unciis decem solve

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

ut unica ebullitione fiat syrupus coloris flavescentis.

Syrupus Berberidum.

R. Baccarum Berberidis maturarum quantum placet.

Contunde et exprime succum. Hunc sepone, donec limpidus appareat. Hujus succi filtratione depurati unciis viginti adde

Sacchari albissimi libras tres.

Semel in lebete stanneo ebulliendo fiat syrupus coloris rubri.

Eodem modo parentur:

Syrupus Cerasorum, e succo Cerasorum acidorum, cum nucleis contusorum, coloris intense rubri,

Mororum, coloris intense rubri,

Ribium, coloris rubri,

Rubi fruticosi, coloris intense rubri, in regionibus, ubi Morus nigra fructus maturos non profert, syrupo Mororum substituendus,

Rubi Idaei, coloris rubri, et

Succi Citri, (*Syrupus Acetositatis Citri,*) succum recenter expressum adhibendo, coloris flavescentis.

Syrupus Chamomillae.

R. Florum Chamomillae vulgaris uncias quatuor.

Infunde

Aquae communis ferventis quantum sufficit.
In colatura unciarum viginti solve leni calore
Sacchari albi libras tres,
ut fiat syrupus coloris fusco-flavi.

Syrupus Cinnamomi.

R. Cassiae cinnamomeae, in pulverem grossiusculum redactae, uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae libram unam,
Rosarum uncias duas.

Digerantur in vase clauso per biduum. In unciarum undecim colatura blando calore solve

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

ut fiat syrupus coloris e rubente fusci.

Syrupus Corticum Aurantiorum.

R. Corticum Aurantiorum a substantia interiori mundatorum uncias quatuor.

Minutim concisis affunde

Vini Gallici albi libras duas cum dimidia.

Digere per biduum in vase clauso et exprime. Unciis viginti post colaturam remanentibus adde

Sacchari albissimi libras tres.

Semel ebulliendo fiat syrupus coloris e flavescente fusci.

Syrupus Croci.

R. Croci unciam dimidiam,
Vini Gallici albi libram unam.

Stent in leni digestione per aliquot horas. In liquoris expressi unciis decem solve blando calore

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

ut fiat syrupus coloris e fusco flavi.

Syrupus Florum Aurantii.

R. Aquae Florum Aurantii uncias decem,
Sacchari albissimi libram unam cum dimidia.

Fiat syrupus coloris flavescentis.

Syrupus Glycyrrhizae seu Liquiritiae.

R. Radicis Glycyrrhizae glabrae concisae uncias octo,
Aquae communis ferventis libras tres.

Coque leniter per horae quadrantem. Liquor expressus evaporet, donec supersint unciae quatuordecim. His adde

Sacchari albissimi,
Mellis despumati singulorum libras duas.

Ebullitione unica fiat syrupus coloris flavo-fusci.

Syrupus Mannae.

R. Mannae electae libram semis.

Solve in

Aquae communis fervidae quantum satis ad colaturam unciarum octodecim.

Huic adde

Sacchari albissimi libras duas.

Ebullitione unica fiat syrupus e fuscescente flavus.

Syrupus Menthae.

R. Herbae Menthae crispae concisae uncias duas.

Infunde

Aquae communis ferventis quantitatem sufficientem.

Colaturae unciarum tredecim adde

Sacchari albi libras duas

ut fiat lege artis syrupus coloris fusco-flavi.

Syrupus Rhei.

R. Radicis Rhei concisae uncias tres,
Cassiae cinnamomeae drachmas sex,
Kali carbonici e cin. clav. drachmas duas.

Affunde

Aquae communis bullientis libras duas.

Digere per noctem. Colaturae unciarum viginti adde

Sacchari albissimi libras tres,

et fiat syrupus coloris e fusco rubri.

Syrupus Rhoeados.

(*Syrupus Papaveris rubri.*)

R. Florum Rhoeados uncias duas,
Aquae communis fervidae libras duas.

Digerantur per noctem. E colatura unciarum viginti fiat cum

Sacchari albissimi libris tribus

ebullitione unica syrupus coloris ruberrimi.

Syrupus Senegae.

R. Radicis Senegae concisae unciam unam,
Aquae communis fervidae libram unam cum dimidia.

Coque ad colaturam unciarum decem. Adde

Sacchari albissimi libram unam cum dimidia,

et fiat syrupus coloris flavescentis.

Syrupus Sennae.

R. Foliorum Sennae uncias quatuor,
Seminis Anisi vulgaris unciam dimidiam,
Aquae communis fervidae libras duas.

Stent in vase clauso per aliquot horas. In liquoris expressi et colati unciis viginti solve

Sacchari albi libras tres.

Fiat syrupus coloris fusci intensioris.

Syrupus simplex.

R. Sacchari albi libras tres.

Solve in

Aquae communis unciis viginti.

Tum albumine ovorum depurando fiat syrupus flavus.

Syrupus Violarum.

R. Florum Violarum recentium a calycibus mundatorum uncias octo,

Aquae communis fervidae libras duas.

Stent in vase clauso per horas duodecim. Liquoris colati unciis viginti adde

Sacchari albissimi libras tres.

Leni calore in vase stanneo fiat syrupus violaceus.

Syrupus Zingiberis.

R. Radicis Zingiberis concisae uncias duas.

Infunde

Aquae communis ferventis uncias sedecim.

Digerantur per horas quatuor et cola. In colatura unciarum tredecim leni calore dissolve

Sacchari albi libras duas,

quo facto unica ebullitione fiat syrupus fuscescens.

Nota. *Omnes syrupi, in vasis bene clausis loco frigido servandi, sint limpidi, excepto syrupo Amygdalarum, minime fermentatione corrupti, saporem et odorem ingredientium prae se ferant.*

Tartarus ammoniatus.

(*Tartarus solubilis ammoniacalis. Tartras kalico-ammonicus.*)

R. Tartari depurati quantum lubet.

Solve in vase stanneo in

Aquae destillatae fervidae sufficiente quantitate.

Tunc adde

Liquoris Ammonii carbonici

tantum ut Ammonium paullulum praevaleat. Liquor filtratus in vase vitreo aut porcellaneo leni calore evaporet, et seponatur ut crystalli concrescant, quas ablutas et siccas in vase bene clauso serva.

Sint albissimae, primo subpellucidae, tempore opacae, in aqua facile solvendae, sapore refrigerante amaro, quantum fieri potest, neutrae, et ab inquinamentis metallicis ac calcaria tartarica liberae, quod uti in kali tartarico explorari potest.

Tartarus boraxatus.

(*Cremor Tartari solubilis.*)

R. Boracis libram dimidiam.

In vase idoneo

Aquae destillatae bullientis decuplo

soluto adde

Tartari depurati libram unam cum dimidia, vel quantum solvitur.

Liquor leni calore ad consistentiam syrupi spissioris evaporet, tum cum Aquae destillatae partibus tribus mixtus

filtretur, et in balneo vaporis ad siccitatem redigatur. Salem siccum in pulverem tritum in vitro bene clauso serva.

Sit albus, facile humescens, saporis acidi, in aquae aequali copia solubilis et ab inquinamentis metallicis liber, quod liquore ammonii hydrosulphurati exploratur.

Tartarus depuratus.

(*Cremor Tartari. Bitartras kalicus cum Aqua depuratus.*)

Crystalli Tartari, ab inquinamentis heterogeneis rudioribus seligendo et cribro separatae, Aqua communi frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo mundo ac sicco in pulverem terantur.

Sit pulvis subtilissimus et albissimus.

Tartarus natronatus.

(*Sal Seignette. Tartras kalico-natricus cum Aqua.*)

R. Natri carbonici crudi quantum placet.

Solve in

Aquae communis fervidae sextuplo.

Lixivio in vase stanneo bullienti sensim adde

Tartari depurati quantum satis,

ut natrum fere neutralisetur. Liquorem sepone per aliquot horas, tum filtratum lege artis in crystallos redige. Has, si opacae apparent, in

Aquae communis frigidae partibus tribus

solve. Tum solutio filtretur, et in crystallos redigatur, quas collectas ablutasque sicca.

Sint crystalli magnae, coloris expertes, diaphanae, in aquae partibus duabus solubiles, saporis amaricantis salsi, ab inquinamentis metallicis prorsus, a calcaria tartarica, quantum fieri potest, liberae, quod, uti in kali tartarico, exploratur.

Tartarus stibiatus.

(*Tartarus emeticus. Tartras kalico-stibicus.*)

R. Stibii oxydati grisei,
Tartari depurati,
Aquae destillatae singulorum uncias quatuor.

In vase porcellaneo mixta digerantur per horam, calorem sub finem ad 80° augendo. Tum adde

Aquae destillatae fervidae quantum satis,

ut pondus totius liquoris adhuc calidi filtrati sit librarum quinque, quem lege artis in crystallos redige. Has tritas in

Aquae destillatae frigidae partibus quindecim

solve. Liquor filtratus denuo in crystallos redigatur, quarum albissimas in pulverem subtilissimum tere in vitro bene obturato caute servandum.

Sit pulvis albissimus, aëris humiditatem non attrahens, in aquae partibus quindecim solubilis, a tartaro depurato, a calcaria tartarica, nec non ab inquinamentis metallicis heterogeneis plane liber, quod modo supra dicto explorari potest.

Dosis: ad Grana tria.

Tinctura Absinthii.

R. Herbae Absinthii uncias sex.

Minutim concisis affunde

Spiritus Vini rectificati libras tres.

Digere per dies quatuor in cucurbita clausa, vas saepius agitando, tum exprime et filtra.

Sit coloris e viridi fusci.

Eodem modo parentur:

Tinctura Calami, coloris fuscescentis, et

Gentianae, coloris e flavo fusci.

Tinctura Aconiti.

R. Herbae Aconiti unciam unam.

Concisae affunde

Spiritus Vini rectificati libram unam.

Ceterum eodem modo uti praecedentes paretur.

Sit coloris viridis.

Tinctura Aloës.

R. Aloës lucidae contusae uncias duas,

Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Digere per aliquot dies et filtra.

Sit coloris fusci.

Eodem modo parentur:

Tinctura Asae foetidae, coloris flavo-fuscescentis,

Benzoës, coloris e flavo fusci,

Galbani, coloris fuscescentis,

Guajaci Resinae, (e resina nativa,) coloris e viridi fusci, et

Myrrhae, coloris fusci pallidioris.

Tinctura amara.

R. Herbae Centaurii minoris,
Pomorum Aurantii immaturorum,
Radicis Gentianae singulorum uncias duas,
Zedoariae unciam unam.

Concisis et contusis affunde

Spiritus Vini rectificati libras tres.

Ceterum uti tinctura Absinthii paretur.
Sit coloris fusci parum virescentis.

Tinctura Arnicae.

R. Florum Arnicae unciam unam cum dimidia.

Concisis affunde

Spiritus Vini rectificati libram unam.

Ceterum uti tinctura Absinthii paretur.
Sit coloris e flavo fuscescentis.

Eodem modo paretur:

Tinctura Croci, coloris aurantiaci.

Tinctura aromatica.

R. Cassiae cinnamomeae uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Radicis Galangae,
Zingiberis singulorum unciam dimidiam.

Contusis et concisis affunde
Spiritus Vini Gallici fortioris libras duas.

Ceterum paretur uti tincturae praecedentes.
Sit coloris e rubro fusci intensioris.

Tinctura Benzoës composita.
(*Balsamum Commendatoris.*)

R. Benzoës contusae uncias quatuor cum dimidia,
Aloës lucidae contusae unciam dimidiam,
Balsami Peruviani seu Indici nigri unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi libras tres.

In vase clauso leni calore digere per aliquot dies, deinde filtra.

Sit coloris fusci.

Tinctura Calami composita.

R. Radicis Calami uncias tres,
Zedoariae,
Zingiberis albi singularum concisarum unciam unam,
Pomorum Aurantii immaturorum contusorum uncias duas,
Spiritus Vini rectificati libras tres.

Post digestionem per dies quatuor exprime et filtra.
Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Cantharidum.

R. Cantharidum contusarum unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Macera per triduum atque filtra. Caute servetur.
Sit coloris e viridi flavescentis.

Dosis: ad guttas viginti.

Eodem modo paretur ac servetur:

Tinctura Euphorbii, coloris fuscescentis.

Tinctura Capsici annui.

R. Fructuum Capsici annui concisorum uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Digere per triduum, exprime et filtra.
Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Cascarillae.

R. Corticis Cascarillae contusi uncias quinque,
Spiritus Vini rectificatissimi libras duas.

Digere, post sufficientem extractionem exprime et filtra. Sit coloris fusci obscurioris.

Eodem modo parentur:

Tinctura Caryophyllorum, coloris fusci intensioris,
Catechu, coloris obscure fusci,
Chinae simplex, (e China fusca et spiritu vini gallici fortiori), coloris rubro-fusci,
Cinnamomi, (e Cassia cinnamomea et spiritu vini gallici fortiori), coloris e rubro fusci,
Guajaci Ligni, coloris fusci,
Pimpinellae, coloris flavo-fuscescentis, et
Valerianae, coloris fusci.

Tinctura Castorei.

R. Castorei minutim concisi uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Digere blando calore per dies octo et filtra. Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Castorei aetherea.

R. Castorei minutim concisi unciam unam,
Spiritus sulphurico-aetherei uncias sex.

Macera in vitro clauso per dies octo, subinde agitando, tum filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Chinae composita.

(*Elixir roborans Whytlii.*)

R. Corticis Chinae fuscae grossiuscule pulverati uncias tres,
Radicis Gentianae,
Corticum Aurantii Pomorum a parte interiori mundatorum, singulorum concisorum unciam unam,
Spiritus Vini Gallici fortioris uncias octodecim,
Aquae Cinnamomi simplicis uncias sex.

Digere, post sufficientem extractionem exprime et filtra.

Sit coloris rubro-fusci.

Tinctura Colocynthidis.

R. Colocynthidis a seminibus liberatae et minutim concisae unciam unam,
Seminis Anisi stellati contusi drachmam unam.
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam.

Post digestionem per triduum exprime et filtra.

Sit coloris e fuscescenti flavi.

Dosis: ad guttas viginti.

Tinctura Corticum Aurantiorum.

R. Corticum Pomorum Aurantii a parte interiori alba mundatorum uncias quinque.

Minutim concisis affunde

Spiritus Vini Gallici fortioris libras duas.

Peracta digestione per dies quatuor exprime et filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Digitalis aetherea.

R. Herbae Digitalis minutim concisae unciam unam,
Spiritus sulphurico-aetherei uncias octo.

Macera per triduum in vitro obturato, saepius agitando, ut fiat tinctura, quae decanthetur.

Sit coloris viridis parum fuscescentis.

Tinctura Digitalis simplex.

R. Herbae Digitalis minutim concisae uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias octo,
Aquae destillatae uncias quatuor.

Digere leni calore per dies quatuor, exprime et filtra.

Sit coloris viridis parum fusci.

Eodem modo paretur:

Tinctura Hyoscyami, coloris viridis.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

R. Liquoris Ferri muriatici oxydati quantum vis.
Cum
Aquae destillatae quantitate sufficiente
diluto adde
Liquorem Kali caustici,
quamdiu praecipitatum inde producitur. Hoc edulcoratum et paullulum siccatum inter chartam bibulam preme, quamdiu charta inde humescit. Massam obtentam statim at in portiunculis immitte in
Acetum concentratum,
interdum bacillo agitando, donec nihil amplius solvatur, et solutio colorem saturatum badium adepta fuerit. Liquoris filtrati unciis novem adde
Aetheris acetici unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi uncias duas.
Sit coloris rubro-fusci. P. spec. 1,020—1,030.

Tinctura Ferri pomati.

R. Extracti Ferri pomati uncias duas.
Solve in
Aquae Cinnamomi vinosae libra una,
et post decanthationem filtra.
Sit coloris nigri.

Tinctura Guajaci ammoniata.

(*Tinctura Guajaci volatilis.*)

R. Resinae Guajaci nativae tritae unciam unam,
Liquoris Ammonii vinosi uncias sex.

Maceratione in vitro clauso, et saepius movendo, extrahatur tinctura, quae decanthetur.

Sit coloris obscure fusci.

Tinctura kalina.

(*Tinctura Antimonii acris. Tinctura Salis Tartari.*)

R. Kali caustici sicci recenter parati uncias quatuor.

In mortario ferreo calefacto in pulverem tritis infunde
Spiritus Vini alcoholisati in cucurbita parum calefacti libras duas.

Agitentur bene, tum imposito alembico cum excipulo digerantur in arenae balneo per aliquot dies, ita ut fiat tinctura saturate rubra, quae decanthetur.

Tinctura Opii benzoïca.

(*Elixir paregoricum.*)

R. Opii pulverati,
Acidi benzoïci,
Camphorae,
Olei Anisi singulorum drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati libras duas.

Digere per dies tres, tum filtra. Caute serva.
Sit coloris flavi parum fusci.

Nota. *Quaelibet uncia circiter grana duo cum dimidio Opii solubilis continet.*

Tinctura Opii crocata.

(*Laudanum liquidum Sydenhami.*)

R. Opii pulverati uncias quatuor,
Croci unciam unam et dimidiam,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae singulorum contusorum drachmas duas,
Vini Malacensis generosi uncias triginta octo.

Infunde et digere, donec opium, quantum fieri potest, sit solutum. Tunc, quantum ponderis evaporatione amiserit, Aquam destillatam addendo restitue. Tandem exprime et post subsidentiam filtra. Caute secundum leges serva.

Sit coloris e flavo obscure fusci. P. spec. 1,045—1,055.

Nota. *Drachma continet Opii solubilis grana sex.*

Dosis: ad guttas viginti.

Tinctura Opii simplex.

(*Tinctura thebaica.*)

R. Opii pulverati uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae destillatae singulorum uncias novemdecim.

Digere, donec, quantum fieri potest, opium solutum sit. Tum, quantum ponderis evaporatione amiserit, Spiritum Vini rectificatum addendo restitue. Tandem exprime et post subsidentiam filtra. Caute secundum leges serva.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris. P. spec. = 0,955 – 0,965.

Nota. *Drachma grana sex Opii solubilis continet.*

Dosis: ad guttas viginti.

Tinctura Rhei aquosa.

R. Radicis Rhei in taleolas tenuissimas scissae unciam unam et dimidiam,

Kali carbonici e cin. clav. drachmas tres.

Infunde

Aquae destillatae fervidae uncias octodecim.

Liquorem refrigeratum cola. Colaturae decanthatae unciarum decem admisce

Aquae Cinnamomi vinosae uncias duas.

Sit coloris sature rubro-fusci.

Tinctura Rhei vinosa.

(Loco Tincturae Rhei Darelii.)

R. Radicis Rhei concisae uncias duas,

Corticum Pomorum Aurantii mundatorum et concisorum unciam dimidiam,

Cardamomi minoris contusi drachmas duas,

Vini Malacensis libras duas.

Digere, exprime et admisce

Sacchari albi pulverati uncias tres.

Post subsidentiam decantha.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Scillae kalina.

R. Radicis Scillae concisae uncias duas,

Kali caustici sicci drachmas duas.

Digere per triduum in

Spiritus Vini rectificati unciis duodecim.

Tum exprime et filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Succini.

R. Succini grossiuscule pulverati uncias sex.

In sartagine ferrea leniter tostis affunde

Spiritus Vini alcoholisati libras duas.

In cucurbita, alembico clausa, digerantur leni calore per aliquot dies. Tum filtra.

Sit coloris fuscescentis.

Tinctura Valerianae aetherea.

R. Radicis Valerianae minoris concisae unciam unam,

Spiritus sulphurico-aetherei uncias octo.

Maceratione in vase clauso per triduum extrahatur tinctura, quae decanthetur.

Sit coloris e flavo fusci.

Tinctura Valerianae ammoniata.

(*Tinctura Valerianae volatilis.*)

R. Radicis Valerianae minoris recenter pulveratae uncias duas,
Liquoris Ammonii vinosi uncias duodecim.

Macerentur in cucurbita clausa per aliquot dies, vas saepius agitando. Tincturam saturate fuscam caute decantha.

Nota. *Omnes tincturae sint limpidae, (exceptis tinctura Ferri pomati et Rhei vinosa), et habeant saporem et odorem ingredientium adhibitorum. Serventur in vasis vitreis bene obturatis, quae pro tinctura Rhei aquosa parva eligantur.*

Vinum stibiatum.

(*Aqua benedicta Rulandi. Vinum Antimonii Huxhami.*)

R. Tartari stibiati grana viginti quatuor,
Vini Malacensis uncias duodecim.

Solve, filtra et serva in vasis bene clausis.

Unguentum basilicum.

R. Olei Olivarum libras tres,
Cerae flavae,
Colophonii,

Sebi ovilli singulorum libram unam,
Terebinthinae communis libram dimidiam.

Lento igne liquata colentur.
Sit coloris flavo-fusci.

Unguentum Cantharidum.

(*Unguentum irritans.*)

R. Cantharidum contusarum uncias tres,
Olei Amygdalarum uncias octo.

Digere in balneo aquae. Colaturae unciarum sex adde Cerae albae uncias quatuor.

Tum sedulo agita, pauxillo Aquae communis admixto, donec fiat unguentum e virescenti album.

Unguentum cereum.

R. Olei Olivarum Provincialis recentis et odoris expertis uncias decem,
Cerae albae uncias quatuor.

Liquata et ab igne remota paullulum Aquae communis admiscendo agitentur, donec refrixerint.
Sit colore albo.

Unguentum Cerussae.

(*Unguentum album simplex.*)

R. Unguenti simplicis libras tres,
Cerussae subtilissime tritae libram unam cum dimidia.

Intime misce.
Sit albissimum, particulis cerussae non distinguendis.

Unguentum Elemi.

(*Balsamum Arcaei.*)

R. Elemi,
Terebinthinae laricinae,
Sebi ovilli,
Adipis suilli loti singulorum par pondus.

Leni igne liquefacta colentur per stupam.
Sit flavescens.

Unguentum Hydrargyri cinereum.

(*Unguentum Neapolitanum.*)

R. Hydrargyri depurati uncias duodecim,
Sebi ovilli uncias octo.

Tere sensim in vase idoneo ad perfectam hydrargyri extinctionem. Tunc admisce

Adipis suilli uncias sedecim.

Caute serva.
Sit coloris e coerulescente cinerei, hydrargyri particulis non conspicuis.

Unguentum Hydrargyri citrinum.

(*Balsamum mercuriale.*)

R. Hydrargyri depurati unciam unam,
Acidi nitrici uncias duas vel quantum requiritur.

Solve et digere donec portiuncula addito liquore kali caustici praecipitatum referat rubro-flavum. Liquorem etiamnum calidum sensim misce cum

Adipis suilli liquefacti et semirefrigerati unciis duodecim,

et effunde in cistulas papyraceas. Refrigeratum in taleolas sectum serva.

Sit colore pallide flavescente.

Unguentum plumbicum seu saturninum.

(*Ceratum Saturni.*)

R. Unguenti simplicis libras tres,
Aceti plumbici uncias tres.

Misce exacte ut fiat unguentum album.

Unguentum Resinae Pini Burgundicae.

(*Loco Unguenti Althaeae.*)

R. Adipis suilli loti libras octo,
Cerae flavae,
Resinae Pini Burgundicae singulorum libram dimidiam.

Liquefacta cola, ut fiat unguentum flavescens.

Unguentum Rorismarini compositum.

(*Unguentum nervinum.*)

R. Herbae Rorismarini recentis libram unam,
Majoranae,

Herbae Rutae singularum recentium libram dimidiam,
Baccarum Lauri,
Radicis Pyrethri singularum uncias tres.

Contusis et concisis adde

Adipis suilli loti libras quatuor,
Sebi ovilli libras duas.

Coque lento igne, donec aquosum consumtum sit. In colatura expressa liquescat

Cerae flavae libra dimidia.

Ab igne remotis et refrigeratis immisce

Olei Rorismarini,
Baccarum Juniperi singulorum uncias tres.

Sit e flavo viride.

Unguentum rosatum.

R. Adipis suilli in Aqua Rosarum loti uncias octo,
Cerae albae uncias duas.

Lento igne liquefactis et refrigeratis in patina lignea sensim admisce

Aquae Rosarum uncias duas.

Bene agitando fiat unguentum albissimum.

Unguentum simplex.

R. Adipis suilli loti uncias octo,
Cerae albae uncias duas.

Leni igne liquefactas et refrigeratas in patina lignea cum
Aquae communis unciis duabus
agita, ut fiat unguentum albissimum.

Unguentum sulphuratum compositum.

(*Unguentum ad Scabiem.*)

R. Sulphuris depurati,
Vitrioli albi ab aqua crystallisationis liberati et pulverati uncias duas,
Adipis suilli loti uncias octo.
Misceantur ut fiat unguentum flavescens.

Unguentum sulphuratum simplex.

R. Sulphuris depurati partem unam,
Adipis suilli partes duas.
Misce ut fiat unguentum flavescens.

Zincum oxydatum.

(*Flores Zinci. Oxydum zincicum.*)

R. Zinci in frustulis quantum vis.

Immitte in crucibulum satis amplum et altum, ut zincum immissum non nisi quartam partem crucibuli impleat. Crucibulum repone inter carbones ardentes et ignem urge, donec metallum fluat, et tandem erumpat in flammam. Tum crucibulum alio contege, non prorsus excluso aëris accessu.

Flamma extincta crucibulum tegens removeatur et oxydum album leve cochleari ferreo eximatur, quae operatio repetatur, quoties zincum, amoto crucibulo et superficie ab oxydo liberata, in flammam erumpit. Oxydum collectum elutriatione in pulverem subtilissimum redactum sicca, et in vitro bene obturato serva.

Zincum oxydatum via humida paratum.

R. Zinci sulphurici siccati partes novem,
Kali nitrici pulverati partem unam.

Mixta in crucibulo ure, donec portiunculae exemtae solutio filtrata, additis tinctura gallarum et liquore ammonii caustici, praecipitatum albidum nec tempore in colorem violaceum vergens demittat. Post refrigerationem massam remanentem a crucibulo separatam et tritam cum

Aquae communis fervidae decuplo

misce, et saepius agitando digere, ut solubile solvatur et ferrum, si hujus tantillum in solutione adhuc adest, separetur. Tum filtra. Liquori limpido adde

Natrum carbonicum depuratum in Aquae communis quantitate sufficiente solutum,

quamdiu praecipitatum inde producitur. Hoc bene edulcoratum et siccatum excandescat in crucibulo tecto, donec portiunculae cum aqua mixtae acidum quodlibet affusum nullam efficiat effervescentiam. Tum adhuc calidum in vitrum ingere et in eo bene clauso serva.

Sit pulvis albissimus, candens flavus, insipidus, inodorus, ferri et acidi carbonici, quae modo supra dicto explorantur, expers, a cadmio, cupro et plumbo, in solutione acido sulphurico effecta, uti in zinco sulphurico reperiundis, liber.

Zincum sulphuricum.

(*Vitriolum Zinci. Sulphas zincicus cum Aqua.*)

R. Zinci in frustula parva diffracti quantum placet.

Solve in

Acidi sulphurici crudi cum partibus quinque Aquae communis diluti quantitate sufficiente.

Solutionem, zinci copia nova addita, sepone, donec metalla heterogenea praecipitata fuerint, tantillo ferri hoc modo non separabili excepto. Tum filtra, et lege artis in crystallos redige, quas siccatas serva.

Sint coloris expertes, subpellucidae, prismaticae, saporis metallici styptici, in aëre tempore fatiscentes, in aquae partibus duabus cum dimidia solubiles, a plumbo, cupro et cadmio plane liberae, quod in solutione, acido sulphurico et aqua hydrosulphurata mixta, praecipitato aut nigro, aut nigro-fusco, aut citrino dignoscitur.

PARS SECUNDA.

MEDICAMENTA, QUAE IN OFFICINIS PRAESTO ESSE NON DEBENT.

SECTIO PRIMA.
SIMPLICIA.

Alcanna. Radix. *Alkannawurzel.*

Anchusa tinctoria Linn. Planta perennis Orientis et Europae australis.

Radix cylindrica, subramosa, epidermide obscure rubra, cortice facile secedente colore obscure rubro, ligno crasso pallidiore, salivam colore rubro tingens.

Anethum. Semen. *Dillsamen.*

Anethum graveolens Linn. Planta annua, in Europa australi spontanea, apud nos frequenter culta.

Semina subrotunda, hinc planiuscula, illinc convexa, e virescente fusca, striis tribus notata, margine alata, ala angusta, odoris et saporis aromatici.

Aurum. *Gold.*

In variis regionibus aut nativum colligitur, aut e mineris eliquatur.

Metallum flavum, ductile, via sicca oxygenium respuens, in acido nitrico-muriatico, nec in ceteris

acidis solubile. P. spec. = 19, 3. Ad usum pharmaceuticum aurum ducatorum Batavorum satis purum adhibeatur.

Calendula. Herba. *Ringelblumenkraut.*

Calendula officinalis Linn. Planta annua Europae australis, apud nos in hortis culta.

Herba florens, foliis alternis oblongis, basi attenuatis, amplexicaulibus, obtusis, subdenticulatis, scabris, floribus compositis, calycis foliolis aequalibus, flosculis coloris aurantiaci, seminibus non papposis omnibus incurvis, odoris gravis. Colligenda ante florum evolutionem.

Castoreum Canadense. *Englisches Bibergeil.*

Castor Fiber Linn.

Substantia animalis, recens molliuscula, flava, exsiccata compacta, friabilis, e luteo fusca, odoris proprii nauseosi, saporis amaricantis subacris, in folliculis oblongis, minoribus ac qui ex Sibiria adferuntur, siccatis, in medio cavis, secreta. Cave ne confundatur cum folliculis facticiis, e massa resinosa et membranis convoluta confectis.

Citrus. Cortex. *Citronenschale.*

Citrus medica Linn.

Colchicum. Radix (*Bulbus*). *Zeitlosenwurzel.* *Colchicum autumnale Linn. Planta perennis in pratis Europae mediae frequens.*

Bulbi solidi, subconici, hinc convexi, inde plani et sulco exarati, extus e fusco flavescentes, intus albi, sapore acri. Colligantur mensibus Septembri et Octobri, nec ultra annum asserventur.

Colchicum. Semen. *Zeitlosensamen.*

Semina subglobosa, rugosa, nigro-fusca.

Croton. Oleum. *Crotonöl.*

Praeparatur in India orientali e seminibus Crotonis Tiglii Linn. fruticis praesertim in insulis Moluccis frequentis.

Oleum unguinosum, principio acri mixtum, spissiusculum, e flavo fuscum, saporis acerrimi. Caute servetur.

Cuprum aceticum. *Viride Aeris crystallisatum. Acetas cupricus cum Aqua. Essigsaures Kupfer. Krystallisirter Grünspan.*

Paratur in officinis chemicis ex aerugine et aceto coquendo.

Sal crystallinus, friabilis, obscure viridis, in aquae partibus quinque solubilis, e cupro oxydato et acido acetico constans.

Cynoglossum. Radix. *Hundszungenwurzel.*

Cynoglossum officinale Linn. Planta biennis Germaniae.

Radix cylindrica, parum ramosa, elongata, versus basin crassa, longitudinaliter rugosa, extus e rufescenti fusca, intus e flavescenti alba, plerumque in segmentis longitudinalibus in officinis obvia, saporis mucilaginosi.

Graphites seu Plumbago. *Graphit. Reifsblei.*

Minerale ex ordine inflammabilium, in Angliae et Hispaniae fodinis obvium.

Massa compacta, friabilis, nigrescens, inquinans, nitore semimetallico, e carbonio constans. Saepissime mineris ferri, cupri, titanii, aliisque heterogeneis mixtus occurrit. Praestat Anglicanus. Rejiciatur facticius, stibium et sulphur continens.

Hordeum. Farina. *Gerstenmehl.*

Hordeum vulgare Linn.

Hyoscyamus. Semen. *Bilsenkrautsamen.*

Hyoscyamus niger Linn.

Semina minuta, reniformia, punctulato-rugulosa, e flavescenti grisea. Caute serva.

Hypericum. Herba. *Johanniskraut.*

Hypericum perforatum Linn. Planta perennis Germaniae.

Herba florens, foliis oppositis, ovato-oblongis, integerrimis, pellucido-punctatis, calycibus acutiusculis, petalis flavis, glandulis nigris parvis. Colligatur mensibus Julio et Augusto.

Jodum seu Jodina. *Jod oder Jodine.*

Praeparatum chemicum e cineribus variarum Fuci Linn. specierum, praesertim F. saccharini.

Squamulae nigrae, splendentes, p. spec. = 4,948, odore acidi muriatici oxygenati seu chlori, igne fumum violaceum praebentes, in aquae 7000 partibus, quam simul flavo-fusco colore tingunt, in alcoholis partibus decem solubiles.

Lac vaccinum. *Kuhmilch.*

Bos Taurus fem. Linn.

Lacca in granis. *Körnerlack.*

Succus induratus Aleuritis lacciferi Willd., Ficus religiosae et Ficus indicae Linn., arborum Indiae orientalis, punctura Cocci Ficus Linn. effusus, ejusdem insecti pigmento imbutus.

Resina in frustulis parvis, e flavo rubentibus, plerumque diaphanis, fractura splendidis, superficie opacis, pigmento rubro in aqua solubili mixta.

Lapis calaminaris. *Galmei.*

Minerale in metallifodinis Silesiae reperiundum.

Substantia lapidea, dura, grisea aut flavescens, fractura terrea, e zinco oxydato et acido carbonico constans.

Linaria. Herba. *Leinkraut.*

Linaria vulgaris Desfont. Planta perennis in Germania frequens.

Herba florens, foliis alternis, confertis, lanceolato-linearibus, sessilibus, integerrimis, glabris, corollis personatis, albo et luteo variegatis, saporis subamari, odoris subnauseosi.

Maranta. Amylum. *Arrow Root. Pfeilwurzelmehl.*

E tuberibus Marantae arundinaceae Linn. et aliarum Marantae specierum, plantarum perennium Indiae occidentalis praesertim Jamaicae, loco natali paratur.

Pulvis subtilissimus, albissimus, in aqua frigida et alcohole haud solubilis, in aqua fervida solubilis et gelatinam sistens inodoram. Cave, ne alieno amylo mixtus sit, minus subtili et odore dignoscendo.

Morrhua. *Asellus. Oleum Jecoris. Leberthran.*

Paratur e jecore Gadi Morrhuae Linn., piscis in mari septentrionali frequentissimi.

Oxalium seu Sal Acetosellae. *Bioxalas kalicus cum Aqua. Sauerkleesalz.*

E succo foliorum Oxalis Acetosellae Linn.,

plantae perennis nemorum Europae, crystallisatione paratur.

Sal in granis crystallinis, albis, saporis acidi, in aqua difficile solvendis, in alcohole non solubilibus, ex acido oxalico praevalente et kali constans. Cave ne sit adulteratum tartaro depurato, qui carbonem in igne praebet, nec kali sulphurico acido, quod ignitione in kali carbonicum non mutatur.

Pichurim. Fabae majores. *Grosse Pichurimbohnen.*

Arbor ignota Americae meridionalis.

Semina oblonga, ad 2 poll. longa, testa orbata, laevia, fusca, in duas cotyledones facile dilabentia, odoris et saporis grati aromatici.

Pichurim. Fabae minores. *Kleine Pichurimbohnen.*

Tetranthera Pichurim Sprengel.? Arbor Brasiliae.

Semina ovalia, poll. longa, ceterum praecedentibus similia.

Pulsatilla. Herba. *Schwarze Küchenschelle.*

Anemone pratensis Linn. Planta perennis in Europa boreali et media frequens.

Herba florens, foliis bipinnatifidis, laciniis partitis linearibus, mucronulatis, pilosis, involucro foliaceo, floribus solitariis nutantibus, petalis extus sericeis,

intus cyaneis, apice reflexis. Recens adhibeatur. Colligatur mensibus Aprili et Majo.

Dosis: ad Grana duo.

Ratanha. Extractum. *Ratanhaextract.*

E radicibus recentibus Krameriae triandrae Ruiz., plantae perennis Brasiliae ibidem paratur.

Compactum, cohaerens, siccum, rubrum, nitens, saporis adstringentis amari, in aqua bullienti fere ex toto solubile.

Ratanha. Radix. *Ratanhawurzel.*

Krameria triandra Ruiz.

Radix elongata, subcylindrica, subramosa, crassitie digiti minoris, epidermide rubro-fusca, cortice rubro, interiore fibroso, ligno duro pallidiore, sapore adstringente. Ad pulverem non nisi cortex radicis adhibeatur.

Rosa. Oleum. *Rosenöl.*

Destillatum e petalis Rosae moschatae Linn., fruticuli orientalis, in Oriente paratum.

Oleum aethereum e flavescente album, temperatura 8° in massam albam opacam transiens, odoris fragrantissimi suavissimi.

Saccharum. Rotulae. *Zuckerkuchen.*

Sal marinum. *Meersalz.*

Praeparatur evaporatione aquae marinae.

Crystalli albae, in aëre humescentes, saporis salsi amariusculi, e natro muriatico, natro sulphurico, calcaria muriatica et magnesia muriatica mixtae.

Sal Thermarum Carolinarum. *Carlsbader Salz.*

Praeparatur in thermis Carolinis evaporatione aquae mineralis.

Sal aut in frustis crystallinis, aut pulverulentus, albissimus, saporis amaricantis salsi, aqua facillime solubilis. Constat e natro sulphurico et carbonico.

Secale cornutum. *Mutterkorn.*

Semina monstrosa Secalis cerealis Linn. graminis in Europa frequenter culti.

Grana cylindrica, plerumque curvata, saepe longitudinaliter rugosa, 6 lin. ad pollicem et ultra longa, extus colore e violaceo et fusco griseo, intus farinosa, colore livido, sapore subacri.

Secale. Farina. *Roggenmehl.*

Secale cereale Linn.

Sepia. Os. *Weifses Fischbein.*

Sepia officinalis Linn. Animal Molluscum maris mediterranei.

Os in dorso animalis positum oblongum, hinc planiusculum, illinc convexum, friabile, compositum e

lamellis tenuibus ope columellarum cavarum subtilissimarum junctis, e calcaria carbonica constans.

Spina cervina. Baccae. *Kreuzdornbeeren.*

Rhamnus catharticus Linn. Frutex in Europa haud infrequens.

Baccae recentes globosae, magnitudine pisi, extus nigricantes, splendentes, intus virides, semina 3-4 ovalia subtriangularia continentes, saporis amaroacris.

Stomachus vitulinus exsiccatus. *Kälberlaab.*

Bos Taurus Linn.

Stomachus vitulinus recens aqua probe lavetur, per viginti quatuor horas aceto immergatur, tunc eximatur, infletur, leni calore siccetur, et loco sicco servetur.

Styrax calamita. *Storax.*

Succus aëre induratus Styracis officinalis Linn., arboris in Europa meridionali spontaneae.

Resina in massis majoribus minoribusque molliusculis, extus opacis, griseis, intus granulosis, micantibus, e rufo fuscis, odoris grati.

Vitis. Pampini cum Foliis. *Weinranken mit den Blättern.*

Vitis vinifera Linn.

SECTIO SECUNDA.
PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Acetum Colchici.

Paretur uti acetum scilliticum.

Acetum Rosarum.

R. Florum Rosarum rubrarum uncias tres.
Infunde
Aceti ferventis quantitatem sufficientem.
Post horam cola ut sint libra una et dimidia.
Sit coloris rubri, limpidum.
Eodem modo paretur:

Acetum Rutae, coloris fusco-viridis, limpidum, aliaque.

Acidum aceticum aromaticum.

R. Acidi acetici unciam unam,
Olei Caryophyllorum drachmam unam,
Lavandulae,
Cort. Citri singulorum scrupulos duos,

Olei Bergamottae,
Thymi singulorum scrupulum unum,
Cassiae cinnamomeae guttas decem.
Misce, ut fiat liquor limpidus e flavo fuscescens.

Acidum aceticum aromatico-camphoratum.

R. Camphorae drachmam dimidiam,
Olei Caryophyllorum guttas viginti,
Cort. Citri guttas decem.
Solve in
Acidi acetici unciis quatuor.
Sit limpidum et flavescens.

Acidum boracicum.

(*Sal sedativum Hombergii.*)

R. Boracis pulverati uncias quatuor.
Solve in
Aquae destillatae bullientis unciis decem.
Liquori adhuc calenti guttatim ac caute adde
Acidi sulphurici rectificati venalis unciam unam, continue agitando, et sepone vas, quamdiu crystalli concrescunt. Liquor his exemtis residuus evaporet, donec salis cuticula appareat. Tum seponatur ut novam copiam crystallorum demittat, et haec operatio repetatur, quamdiu

crystalli acidi boracici enascuntur. Crystalli collectae nova crystallisatione ab acidi sulphurici nimia copia depurentur.

Sint crystalli squamiformes, candidae, saporis vix ullius, siccae, haud volatiles, sed ope tubi ferruminatorii ignitae globulum vitreum praebentes, in partibus viginti aquae solubiles, in alcohole solutae, hujus flammam colore viridi tingentes, acido sulphurico non nimis inquinatae, quod liquore barytae nitricae explorari potest.

Acidum hydrocyanicum seu borussicum.

R. Kali ferruginoso-hydrocyanici venalis a quisquiliis liberi triti unciam unam.

Immitte in cucurbitam vitream altiorem et adde

Acidi phosphorici puri uncias duas,

cum

Spiritus Vini alcoholisati unciis tribus

mixtas. Orificio cucurbitae tela gossypina (Mousseline) obtecto, applicetur alembicus cum excipulo, cui immissa est

Spiritus Vini alcoholisati uncia una.

Juncturis bene clausis et excipulo in aquam frigidissimam immisso, fiat destillatio leni calore, quamdiu fluidum transit, ita ut residuum humidiusculum nec prorsus siccum remaneat. Finita destillatione et vasis refrigeratis liquori obtento adde

Spiritus Vini alcoholisati tantum

ut pondus totius liquoris sit unciarum sex. Tum in lagenulas unciae dimidiae capaces effunde, quae bene obturatae loco obscuro quam maxime caute serventur.

Hujus acidi grana centum liquoris kali caustici, tum liquoris ferri muriatici oxydati, denique acidi muriatici quantitate sufficiente mixta, ferri hydrocyanici praebeant grana quatuor.

Dosis: ad guttam unam.

Aqua coerulea.

R. Aquae Calcariae libram dimidiam,
destillatae libras quatuor.

Misce et adde

Ammonii muriatici depurati drachmas duas,
Cupri limati drachmam unam.

Stent per horas duodecim. Tum filtra.
Sit coloris coerulei et limpida.

Aqua foetida antihysterica.

(*Aqua foetida Pragensis.*)

R. Galbani unciam unam,
Asae foetidae unciam unam et dimidiam,
Myrrhae drachmas sex,
Radicis Valerianae,
Zedoariae singularum uncias duas,
Angelicae unciam semis,
Herbae Menthae piperitae unciam unam et dimidiam,
Serpylli,

Florum Chamomillae Romanae,
Seminis Cumini,
Castorei Canadensis singulorum unciam unam.
Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini rectificatissimi libram unam et dimidiam.
Stent per viginti quatuor horas. Tum adde
Aquae fontanae quantum satis,
ut destillando abstrahantur librae tres.
Sit turbida, ab oleo aethereo supernatante libera.

Aqua hydrosulphurata acidula.

(*Liquor probatorius Hahnemanni.*)

R. Aquae hydrosulphuratae uncias quatuor.
Admisce
Acidi tartarici drachmam unam.
Sit limpida, gas hydrosulphuratum valde redolens.

Aqua phagedaenica.

R. Hydrargyri muriatici corrosivi triti grana viginti quatuor.
Adde
Aquae Calcariae uncias sedecim.
Liquorem praecipitato croceo refertum non nisi agitatum dispensa.

Aqua plumbica.

(*Aqua saturnina.*)

R. Aquae destillatae libras duas,
Aceti plumbici unciam dimidiam.

Misce, et ante dispensationem agita.
Sit turbida alba.

Aqua sulphurato-stibiata.

R. Calcariae sulphurato-stibiatae drachmas duas.

Coque cum
Aquae fontanae libris quinque,
ut librae quatuor remaneant.

Calide filtratas immitte lagenis, bene obturandis.
Non ultra tres dies servetur.

Aqua vegeto-mineralis Goulardi.

R. Aceti plumbici unciam dimidiam,
Aquae fontanae libras duas,
Spiritus Vini rectificati uncias duas.

Misce, et ante dispensationem agita.
Sit alba turbida.

Aqua vulneraria vinosa.

R. Herbae Salviae,
Absinthii,
Menthae piperitae,

Herbae Rutae,
Rorismarini,
Florum Lavandulae singulorum uncias duas,
Spiritus Vini rectificati libram unam cum dimidia,
Aquae fontanae sufficientem quantitatem.

Post macerationem per horas viginti quatuor destillando eliciantur librae sex aquae turbidae.

Aurum muriaticum.

(*Chloretum Auri cum Chloreto Natrii.*)

℞. Auri partes sex.

Solve in

Acidi muriatici quantitate sufficiente,
Acidi nitrici quantum ad auri solutionem requiritur,
guttatim addendo. Tum admisce

Natri muriatici sicci partes decem,
et post solutionem evaporando in pulverem flavum redige.

Ceratum Aeruginis.

(*Cera viridis.*)

℞. Cerae flavae libram unam,
Resinae Pini Burgundicae uncias sex,
Terebinthinae communis uncias quatuor.

Leni calore liquatis ac non nimis calidis adde

Aeruginis tritae unciam unam.

Bene mixta in capsulas papyraceas effunde et ceratum refrigeratum in taleolas discinde.

Ceratum Cetacei rubrum.

(*Ceratum labiale rubrum.*)

R. Olei Amygdalarum unciam unam cum dimidia,
Cerae albae unciam unam,
Cetacei drachmam unam.

Liquefiant in sartagine et tingantur frustulo Radicis Alcannae, usque dum gratum colorem induerint. Cola et adde

Olei Corticis Citri,
Bergamottae singulorum guttas duodecim.

Tum in capsulas papyraceas effunde et massam refrigeratam in taleolas sectam dispensa.

Chinium.

(*Chininium, Quinium.*)

R. Chinii sulphurici quantum vis.

Solve in

Aquae destillatae quantitate sufficiente.

Liquori filtrato adde

Liquoris Natri caustici, Aquae destillatae partibus tribus diluti,

quantum ad praecipitationem perfectam Chinii requiritur, quod, ope filtri a fluido separatum et ablutum, sicca.

Esto pulvis albus, non crystallinus, in aqua difficillime, in alcohole ebulliente parum solubilis, saporis amari.

Chinium sulphuricum.

(*Chininium sulphuricum, Sulphas quinicus.*)

R. Corticis Chinae regii grossiuscule pulverati libras duas.

In vas fictile immissis affunde

Aquae communis fervidae libras duodecim,

Acidi muriatici unciam unam et dimidiam.

Digere per horas sex ad octo, tum cola et exprime. Residuum simili modo bis terve in aqua cum acido mixta digeratur, peracta extractione semper exprimendo. Liquoribus obtentis admisce

Liquoris Kali caustici eam quantitatem,

ut acidum parumper praevaleat. Tum liquores leni igne ad libras quatuor redigantur. Post refrigerationem filtra et liquori limpido adde

Calcariae ustae, cum sufficiente quantitate Aquae communis mixtae, ut in liquorem lacti similem fatiscat, unciam unam.

Seponantur per diem, miscellam subinde agitando, deinde filtrentur, et, quod remanet, Aqua communi frigida edulcoratum, siccetur. Tritum bis terve cum

Spiritus Vini alcoholisati partibus octo

digeratur. Tincturas commixtas destillationi subjice, donec non nisi circiter unciae quatuor supersint. His adde

Acidi sulphurici diluti drachmas quinque,

aut quantum ad neutralisationem Chinii requiritur, quo facto liquor, si necesse est, evaporatione lenta et agitatione

adhibitis in massam salinam abeat. Hanc exprime, quod remanet cum Aquae destillatae portiuncula misce, iterum exprime, et hac operatione bis terve repetita, residuum in

Aquae destillatae ferventis libris novem ad decem solve. Liquorem coloris vini gallici albi lege artis in crystallos redige.

Sint crystalli albissimae, splendentes, aciformes, valde flexiles, in aqua parum, in spiritu vini rectificatissimo ferventi facile, nec non in aethere sulphurico solubiles, sapore peramaro, odoris nullius.

Eodem modo paretur:

Cinchonium sulphuricum, (*Sulphas cinchonicus*) e cortice Chinae fusco et flavo, sed liquorem spirituosum sub finem obtentum destillationi subjiciendo, crystallos inde natas acido sulphurico diluto neutralisando, et solutionem inde obtentam evaporatione et crystallisatione turbata in pulverem album redigendo, ex quo repetita crystallisatione ope aquae sal purus evadit, a chinio sulphurico non nisi majoribus crystallis, majore solubilitate in aqua, minore in alcohole et mitiore amaritie diversus.

Chlorum calcariae.

(*Chloretum Calcariae. Calcaria chlorinica.*)

Calcaria usta eadem Aquae communis copia adspergatur, ita ut in pulverem fatiscat. Pulvis in vas vitreum cylindricum ingeratur, Gas Chlori modo supra dicto ex-

tricetur, et per tubulum intra calcariam ustam conducatur, quamdiu ab hac absorbetur. Pulvis exemtus in vase bene clauso servetur.

Deficiente apparatu facile ex officinis chemicis coëmitur.

Conserva Rosarum.

R. Florum Rosarum rubrarum recentium libram unam.

Contundantur in mortario lapideo, ope pistilli lignei ad pultis consistentiam. Admisce

Sacchari albissimi pulverati libras duas.

Decoctum Zittmanni fortius.

R. Radicis Sarsaparillae concisae uncias duodecim.

Infunde

Aquae communis mensuras viginti quatuor,

et digere per horas viginti quatuor.

Tum additis

Sacchari aluminati uncia una et dimidia,
Hydrargyri muriatici mitis uncia dimidia,
Cinnabaris praeparatae drachma una,

sacculo linteo inclusis, coque ad remanentiam mensurarum octo, sub finem coctionis addendo

Seminis Anisi
Foeniculi singulorum contusorum unciam dimidiam,
Foliorum Sennae uncias tres,

Radicis Liquiritiae glabrae concisae unciam unam et dimidiam.

Cola et exprime. Liquorem obtentum decantha.

Decoctum Zittmanni mitius.

R. Radicis Sarsaparillae concisae uncias sex.

Cum speciebus a decocto fortiori mensurarum octo residuis mixtas coque cum

Aquae communis mensuris viginti quatuor,

ad remanentiam mensurarum octo, sub finem coctionis addendo

Corticis Citri,
Cassiae cinnamomeae,
Cardamomi minoris,
Radicis Liquiritiae glabrae singulorum contusorum et concisorum drachmas tres.

Cola et exprime. Liquorem obtentum decantha.

Elaeosaccharum Anisi.

R. Sacchari albissimi pulverati unciam unam,
Olei Anisi guttas viginti quatuor.

Misce.

Eodem modo parentur:

Elaeosaccharum Calami,
Caryophyllorum,
Chamomillae,

Elaeosaccharum Cinnamomi, ex oleo Cassiae cinnamomeae,
Citri,
Foeniculi,
Menthae piperitae,
Valerianae et alia.

Elixir ad longam Vitam.

R. Aloës lucidae drachmas decem,
Boleti Laricis,
Radicis Rhei,
Zedoariae,
Gentianae,
Galangae,
Myrrhae,
Electuarii Theriacae singulorum scrupulos octo,
Croci drachmas duas,
Sacchari albi uncias quatuor.
Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini Gallici libras quatuor.
Digere per aliquot dies, tum exprime et filtra.
Sit coloris fusci obscurioris et limpidum.

Elixir amarum.

R. Extracti Trifolii
Aurantiorum corticum singulorum unciam dimidiam.

Solve in

Aquae Menthae piperitae,
Spiritus Vini rectificati singulorum unciis quatuor,

et adde

Spiritus sulphurico-aetherei drachmas duas.

Misce.

Elixir Proprietatis Paracelsi.

R. Spiritus Vini rectificati libras duas,
Acidi sulphurici diluti uncias duas.

In cucurbita ampla per aliquot dies digestis adde

Aloës lucidae,
Myrrhae singulorum grossiuscule pulveratorum uncias duas,
Croci pulverati unciam unam.

Digerantur per quatuor dies, tum liquor filtretur, ac in vas vitreum epistomio vitreo obturandum immittatur. Sit coloris e rubro fusci obscurioris et limpidum.

Emplastrum consolidans.

R. Emplastri Cerussae,
Lithargyri simplicis singulorum uncias duodecim,
Lapidis Calaminaris,

Olibani,
Mastiches singulorum pulveratorum unciam dimidiam.

Misce ut fiat emplastrum e flavescente fuscum.

Emplastrum de Galbano crocatum.

R. Emplastri Meliloti,
Lithargyri simplicis singulorum uncias tres,
Cerae citrinae uncias duas.

Liquatis et semirefrigeratis adde
Galbani depurati uncias sex,
antea in
Terebinthinae Venetae uncia una
solutas, et tandem
Croci pulverati drachmas sex.

Fiat emplastrum coloris e flavescente fusci.

Emplastrum oxycroceum.

R. Cerae flavae,
Colophonii singulorum libram dimidiam.

Liquefactis, colatis, ab igne remotis, et parumper refrigeratis adde
Ammoniaci depurati,
Galbani depurati singulorum uncias duas,
in

Terebinthinae communis libra dimidia
leni calore antea solutas. Tum immisce
Croci,
Masticbes,
Myrrhae,
Olibani singulorum pulveratorum uncias duas,
ut fiat emplastrum flavo-fuscum.

Extractum Aloës Acido sulphurico correctum.

R. Extracti Aloës uncias quatuor.
Solve in
Aquae destillatae sufficiente quantitate.
Solutioni guttatim ac caute admisce
Acidi sulphurici rectificati venalis unciam dimidiam.

Tum evaporatione ad massae pilularum consistentiam redigatur.

Sit coloris nigri, solutione in aqua e nigro fusca, turbida.

Extractum Calendulae.

Paretur uti extractum Aconiti herbae recentis, ex herba cum floribus.

Sit coloris e nigro virescentis, solutione in aqua viridi, turbida.

Eodem modo parentur:

Extractum Pulsatillae, coloris nigri, solutione in aqua e nigrescente fusca, turbida,

Stramonii Herbae, coloris e nigro virescentis, solutione in aqua viridi, turbida, caute servandum, et

Vitis Pampinorum, coloris viridis, solutione in aqua viridi, turbida.

Extractum Glycyrrhizae.

Paretur uti extractum Absinthii e radicibus Glycyrrhizae glabrae.

Sit coloris e fusco nigri, solutione in aqua nigro-fusca, limpida.

Eodem modo parentur:

Extractum Marrubii, coloris fusco-nigri, crystallulos continens, solutione in aqua fusca obscuriori, fere limpida,

Scillae, coloris nigro-rubri, solutione in aqua fusca, limpida, splendens ac tenax, et

Taraxaci, coloris nigri, solutione in aqua nigrescente, limpida.

Extractum Ligni Campechiensis.

Paretur uti extractum Cascarillae.

Sit siccum, splendens, coloris e rubente nigri, solutione in aqua calida fusco-rubra, fere limpida.

Eodem modo paretur:

Extractum Ratanhae, siccum, splendens, coloris e nigro rufi, solutione in aqua calida fusco-rubra, turbida.

Extractum Nuc. Vomicarum spirituosum.

R. Nucum Vomicarum raspatarum quantum placet,
Spiritus Vini rectificatissimi quantum sufficit

ut nuces contegat. Digere per triginta sex horas, vas subinde agitando. Tum decanthato liquore residuum exprime. Digestionem repete, donec spiritus nullo colore nulloque sapore inficiatur. Liquores mixtos per chartam bibulam filtratos subjice destillationi ad quartae partis remanentiam, quae dein in balneo vaporis ad consistentiam extracti spissioris evaporet. Caute serva.

Sit coloris e viridi fusci, solutione in aqua turbida, saporis peramari.

Farina Hordei praeparata.

R. Farinae Hordei quantum lubet.

Immitte in saccum linteum, et ligatura ita claude, ut inter farinam et ligaturam spatium quatuor circiter pollicum sit. Saccus in vase idoneo infra Aquam communem suspendatur, ita ut parietes non attingat, tum per quatuor-

decim horas aqua continue ebulliat. Massam farinaceam exime, partem externam compactam et leviter flavescentem cultro aufer, interiorem vero bene siccam in pulverem subtilem e rubicundo albidum redige.

Fumigationes oxymuriaticae.

(*Fumigationes Guyton Morveauianae.*)

R. Mangani oxydati nativi subtilissime pulverati unciam unam,

Natri muriatici sicci uncias tres.

Mixtis adde

Acidi sulphurici crudi uncias duas,

Aquae communis quantitate aequali

dilutas. Dispensetur in vase solido bene obturato. Si

Fumigationes nitricae Smithianae

requiruntur, dispensentur seorsim

Kali nitrici depurati pulverati uncia una,

Acidi sulphurici crudi coloris expertis drachmae duae,

ultimum in vitro epistomio vitreo munito, et signentur utraque nominibus suis.

Nota. *Ad usum guttatim acidum kali nitrico affunde, ut vapores albi emittantur.*

Gelatina Saleb.

R. Radicis Saleb pulveratae drachmam unam.

Affunde sensim

Aquae communis frigidae uncias duodecim.

Miscellam sub continuam agitationem coque, donec supersint unciae septem refrigeratae gelatinam aequabilem referentes.

Graphites depuratus.

R. Graphitae, qualis prostat, in pulverem subtilissimum redacti libram unam.

Decoque in

Aquae communis sufficiente quantitate

per horam. Tum, aqua decanthata, affunde

Acidi nitrici,

muriatici singulorum crudorum uncias duas,

Aquae communis uncias octo.

Misce et digere per horas viginti quatuor saepius agitando. Liquorem acidum decantha et residuum Aquae communis quantitate sufficiente edulcora et sicca.

Sit a corporibus heterogeneis plane liberatus.

Hydrargyrum aceticum.

(*Mercurius acetatus. Acetas hydrargyrosus.*)

R. Liquoris Hydrargyri nitrici oxydulati quantum vis.

Aquae destillatae partibus quatuor

diluto admisce

Liquorem Kali acetici,

quamdiu praecipitatum crystallinum inde producitur. Hoc ope filtri separatum et Aqua destillata frigida ablutum loco umbroso sicca, et in vitris pigmento nigro obductis caute serva.

Sit in crystallis tenuibus, squamiformibus, candidis et argenti instar nitentibus, in aqua vix solubilibus.

Infusum Sennae compositum.

(Loco Aquae laxativae Viennensis.)

R. Foliorum Sennae unciam dimidiam.

Affunde

Aquae communis fervidae uncias quatuor.

Macera per semihoram. In colatura expressa solve

Tartari natronati unciam dimidiam,

Mannae drachmas sex.

Denuo cola et adde

Elaeosacchari Citri drachmam unam.

Sit coloris fusci obscuri.

Kali hydroiodicum.

(Hydroiodas kalicus. Jodetum Kalii.)

R. Liquoris Kali caustici quantum vis,

Aquae destillatae eandem quantitatem.

In vase porcellaneo mixtis et calefactis sensim adde

Jodum,

donec liquoris color intense ruber in rubicundum nec flavescentem vergat; tum ad siccum evaporet. Residuum per horae quadrantem excandescat, post refrigerationem in

Aquae destillatae quantitate sufficiente

solvatur, et liquor filtratus lege artis in crystallos redigatur, quas in vase bene clauso serva.

Sint coloris expertes, cubicae, saporis austeri, aëri expositae humorem attrahentes, in aqua nec non in spiritu vini facile solubiles, a natro muriatico, quantum fieri potest, liberae, quod dignoscitur, si cum acido nitrico ad decompositionem usque coctae, et tum liquore argenti nitrici mixtae, non nisi tantillum argenti muriatici praebent.

Kali sulphuricum acidum.

(*Bisulphas kalicus.*)

R. Kali sulphurici depurati pulverati uncias duodecim.

Solve in

Acidi sulphurici rectificati venalis unciis sex,
Aquae destillatae unciis octodecim

antea caute mixtis.

Solutionem filtratam lege artis in crystallos redige, quas bene sicca.

Sint coloris expertes, peracidae, in aëre parum fatiscentes, in aquae partibus duabus solubiles.

Linimentum ammoniatum.

(*Linimentum volatile.*)

R. Olei Olivarum Provincialis aut Papaveris, utriusque sat recentis et odoris expertis, uncias tres,

Liquoris Ammonii caustici unciam unam.

Agitentur in vase vitreo, donec perfecte in unum coëant. Sit fluidiusculum, nec sepositum separetur.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

R. Olei Olivarum Provincialis aut Papaveris, utriusque recentissimi et odoris expertis, uncias duas,

Olei camphorati,

Liquoris Ammonii caustici singulorum unciam unam.

Agitentur in vase vitreo, donec perfecte in unum coëant. Sit uti praecedens.

Linimentum saponato-ammoniatum.

R. Saponis domestici unciam unam cum dimidia.

Solve in

Aquae communis libris tribus,

Spiritus Frumenti libris duabus.

Hujus solutionis partes tres misce cum

Liquoris Ammonii caustici parte una.

Liquor Ferri muriatici oxydulati.

R. Ferri muriatici oxydulati partem unam.
Solve in
Aquae destillatae partibus duabus,
et, aëris accessum, quantum fieri potest, evitando, filtra.
Sit coloris viridis, cupri expers. P. spec. = 1,250 — 1,260.

Liquor Myrrhae.

(*Loco Liquaminis Myrrhae.*)

R. Extracti Myrrhae unciam unam.
Solve in
Aquae destillatae unciis quinque.
Liquorem post decanthationem cola.
Sit coloris fusco-flavi turbidusque.

Massa Pilularum e Cynoglosso.

R. Radicis Cynoglossi,
Seminis Hyoscyami,
Opii singulorum pulveratorum unciam dimidiam,
Myrrhae pulveratae drachmas sex,
Olibani pulverati drachmas quinque,
Styracis calamitae,
Caryophyllorum,
Cassiae cinnamomeae singulorum pulveratorum drachmas duas.
Misce et caute dispensa.

Nota. *Hujus pulveris grana septem continent circiter Opii pulverati granum unum.*

Mixtura camphorata.

(*Julep e Camphora.*)

R. Camphorae ope Spiritus Vini rectificatissimi pulveratae drachmam unam.

Tere cum

Sacchari albi uncia dimidia.

Affunde sensim

Aquae destillatae ferventis uncias decem.

Mixturam postquam refrixerit, in vas filtra statim obturandum ut sit limpida, odoris valde camphoracei.

Mixtura pyro-tartarica.

(*Mixtura simplex.*)

R. Spiritus Angelicae compositi uncias duodecim,

Liquoris pyro-tartarici uncias octo.

Mixtis sensim immisce

Acidi sulphurici rectificati venalis unciam unam.

Sit limpida, coloris fuscescentis.

Morphium seu Morphinum.

R. Opii pulverati uncias quatuor.

Digere leni calore cum

Aquae destillatae unciis triginta duabus,

Acidi muriatici uncia una

mixtis, per horas sex, saepius agitando et decantha. Residuum ter simili modo digeratur. Liquoribus obtentis adde

Natri muriatici uncias sedecim.

Agitentur ad salis solutionem usque et seponantur, donec materiae inde praecipitatae perfecte separatae fuerint. Tum filtratis admisce

Liquorem Ammonii causticum,

quamdiu praecipitatum inde efficitur, et sepone miscellam per biduum. Praecipitatum, ope filtri separatum, Aqua destillata frigida ablutum et siccatum digere cum

Spiritus Vini alcoholisati partibus decem,

quoties hic ab illo aliquid solvit. Tum tincturae ferventes filtratae sepositione et destillatione in crystallos redigantur. Has Spiritu Vini rectificatissimo frigido ablutas leni calore in

Acidi muriatici Aquae destillatae partibus quatuor diluti quantitate sufficiente

solve. Post refrigerationem liquor in massam crystallinam transeat. Hanc linteo inclusam exprime ut ab heterogeneis depuretur. Residuum solvatur in

Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente,

et liquorem refrigeratum cum

Liquore Ammonii caustico

ad perfectam morphii praecipitationem usque misce. Praecipitatum in

Spiritus Vini alcoholisati quantitate sufficiente

solutum lege artis in crystallos redige, quas caute serva.

Sint crystalli coloris expertes, diaphanae, fere insipidae ac inodorae, in aqua fere indissolubiles, in alcoholis partibus quadraginta solubiles, a Narcotina s. Opiano liberae,

quod dignoscitur, si solutio in acido muriatico evaporatione in massam crystallinam transit, nec massam mucilaginosam praebet, aut melius, si solutio acido muriatico valde praevalente facta tinctura gallarum non praecipitatur.

Morphium aceticum.

(*Acetas morphicus.*)

R. Morphii quantum vis.

Solve in

Aceti concentrati Aquae destillatae quantitate aequali diluti quantitate sufficiente

ut liquor perfecte neuter appareat. Hic filtratus leni igne ad siccum evaporet. Residuum in pulverem redactum caute serva.

Sit pulvis albidus, saporis peramari, in aqua, nisi acidum aceticum nimio calore partim avolaverit, quo in casu aceti concentrati aliquot guttae sunt addendae, facile solubilis, a Narcotina s. Opiano, quantum fieri potest, liber, quod uti in Morphio explorari potest.

Morsuli antimoniales Kunkelii.

R. Sacchari albi libram unam,

Aquae communis libram dimidiam.

Mixta decoque lege artis ad consistentiam tabulati. Tum liquido, vase ab igne remoto, agitando pelluciditatem amittenti admisce statim

Stibii sulphurati nigri laevigati uncias duas,

Amygdalarum dulcium excorticatarum concisarum unciam unam et dimidiam,
Cassiae cinnamomeae grossiuscule pulveratae,
Cardamomi minoris pulverati singulorum scrupulum unum.

Dein mixta celeriter in modulum humectatum effunde, et massam inde obtentam adhuc calidam disseca ut fiant morsuli, quantum fieri potest aequales, ponderis drachmarum duarum.

Nota. *Morsulus stibii sulphurati nigri circiter continet grana quindecim.*

Mucilago Cydoniorum.

R. Seminis Cydoniorum drachmam unam.

Vitro injectis affunde

Aquae Rosarum uncias octo.

Stent per aliquot horas interdum agitando, tum cola.

Mucilago Gummi Mimosae.

R. Gummi Mimosae pulverati partem unam.

Solve in

Aquae destillatae partibus tribus.

Cola.

Mucilago Salep.

R. Radicis Salep pulveratae drachmam unam.

In mortario terendo adde

Aquae communis frigidae uncias duas.
Tunc admisceantur
Aquae communis fervidae unciae decem,
et miscella in vitro conquassetur, donec frigefacta sit.

Natrum nitricum.

(*Nitrum cubicum. Nitras natricus.*)

R. Natri carbonici crudi unciam unam.
Solve in
Aquae destillatae unciis quatuor,
et adde
Acidi nitrici quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquorem filtra et lege artis in crystallos redige, albas, in aëre humectantes, in aquae partibus tribus solubiles, saporis kali nitrici, sed minus amari.

Oleum Anethi.

Paretur uti oleum Absinthii aethereum.
Sit coloris e viridi flavescentis.
Eodem modo paretur:

Oleum Petroselini, coloris flavescentis aut albidi, butyraceum, partim aqua gravius.

Oleum camphoratum.

R. Camphorae partem unam,
Olei Papaveris recentis partes octo.
Terendo solve.

Oleum contra Taeniam Chaberti.

R. Olei Terebinthinae uncias duodecim,
animalis foetidi uncias quatuor.

Retortae vitreae ope infundibuli curvati immissis, adjuncto excipulo, blanda destillatione eliciantur unciae duodecim statim in vasa vitrea parva bene obturanda immittendae.

Sit coloris expers aut flavescentis, limpidus, odoris foetidissimi.

Oleum Hyperici coctum.

Paretur uti oleum Absinthii coctum, sub finem coctionis addendo

Radicis Alcannae concisae quantitatem sufficientem, ut oleum colorem rubrum adipiscatur.

Oleum Ovorum.

R. Vitellorum Ovorum recentium, coctione in aqua induratorum, quantum vis.

In sartagine munda leni calore agitentur ope pistilli lignei, donec rufescant et, inter digitos pressi, oleum emittere incipiant. Tum sacculo inclusos et inter laminas tepefactas positos ope preli exprime.

Sit frigore spissum, opacum, coloris vitellini, calefactum fluidiusculum, pellucidum, saporis mitis.

Oleum phosphoratum.

R. Phosphori bene sicci et concisi grana duodecim.

Immitte in phialam

Olei Amygdalarum recenter parati unciam unam continentem, quam in aquam calidam immerge, donec phosphorus liquatus sit. Tum vas agitetur donec phosphorus solutus appareat. Oleum refrigeratum a phosphoro forsan secreto caute decantha.

Oxymel Colchici.

Paretur uti oxymel scilliticum.

Pasta Cacao cum Lichene Islandico.

R. Lichenis Islandici uncias quatuor.

Infunde

Aquae communis fervidae libras duas,

in quibus solutae sunt

Kali carbonici e cin. clav. drachmae duae.

Stent per horas tres. Tum liquorem decantha, residuum Aqua communi frigida probe ablue, sicca et in pulverem redige. Hujus pulveris unciis tribus adde

Cacao tostae in mortario ferreo calido in massam subtilissimam redactae,

Sacchari albi pulverati singulorum libram unam et dimidiam,

Radicis Salep pulveratae drachmas tres.

Massam intime mixtam, aut in cistulas effunde, aut refrigeratam in pulverem redige.

Pasta cosmetica.

R. Amygdalarum amararum,
dulcium singularum excorticatarum uncias quatuor.

Sedulo contunde et, addita

Aquae Rosarum quantitate sufficiente,

in pastam subtilissimam redactis admisce

Mellis albi unciam unam,
Cetacei in pulverem redacti drachmam unam,
Camphorae tritae drachmam dimidiam.

Pilulae Jalapae.

(*Pilulae purgantes.*)

R. Saponis jalapini partes tres,
Radicis Jalapae pulveratae partem unam.

Misce ut fiat massa pilularis, ex qua formentur pilulae ponderis granorum duorum.

Pulvis aërophorus e Magnesia carbonica.

R. Magnesiae carbonicae drachmas duas,
Acidi tartarici triti drachmam dimidiam,
Elaeosacchari Citri drachmam unam.

Misce.

Pulvis aërophorus e Natro carbonico acidulo.

R. Natri carbonici aciduli triti drachmam unam,
Acidi tartarici triti,
Sacchari albissimi pulverati singulorum scrupulos duos.

Misce.

Pulvis antiepilepticus.

R. Visci albi pulverati uncias duas,
Radicis Paeoniae pulveratae,
Concharum praeparatarum singularum unciam unam.

Misceantur.

Si requiritur, addere licet
Auri foliati quantum libet.

Pulvis cosmeticus.

R. Amygdalarum amararum,
dulcium singularum excorticatarum libram dimidiam.

Probe contusis admisce
Cetacei in pulverem redacti unciam dimidiam,
Radicis Iridis Florentinae pulveratae,
Boli albae laevigatae, singulorum uncias duas,

Benzoës pulveratae,
Kali carbonici e cin. clav. singulorum drachmam dimidiam,
Olei Florum Aurantii,
Lavandulae,
Caryophyllorum singulorum guttas quindecim.

Pulvis dentifricius.

R. Concharum praeparatarum drachmas sex,
Radicis Iridis Florentinae pulveratae drachmam unam.

Intime mixtis affunde liquorem e
Coccionellae granis quinque,
Aluminis pulverati granis octo
et
Aquae destillatae sufficiente quantitate
paratum, et misce, donec pulvis liquore perfecte humectatus et colore rubro imbutus fuerit. Post exsiccationem admisce
Olei Caryophyllorum guttas tres.

Pulvis gummosus.

R. Gummi Mimosae pulverati uncias tres,
Radicis Glycyrrhizae echinatae pulveratae unciam unam,

Sacchari albi pulverati uncias duas.

Misce.

Nota. *Hic pulvis gummosus locum specierum Diatragacanthae merito occupat.*

Pulvis Magnesiae cum Rheo.

(*Pulvis pro Infantibus.*)

R. Magnesiae carbonicae unciam unam,
Elaeosacchari Foeniculi unciam dimidiam,
Radicis Rhei pulveratae drachmas duas,
Iridis Florentinae pulveratae drachmam unam cum dimidia.

Misce.

Pulvis sternutatorius.

R. Herbae Majoranae pulveratae uncias tres,
Mari veri,
Florum Convallariae majalis,
Radicis Iridis Florentinae singulorum pulveratorum unciam unam.

Misce.

Pulvis temperans.

R. Kali sulphurici depurati,
nitrici depurati singulorum pulveratorum partes aequales.

Misce.

Resina Jalapae praeparata.

R. Resinae Jalapae in pulverem tritae,
Amygdalarum dulcium sicce excorticatarum et in massam aequabilem subtilissimam contusarum partes aequales.
Misce.

Rotulae Menthae piperitae.

R. Rotularum Sacchari uncias quatuor.
Immitte in vas vitreum, antea
Aetheris acetici guttis triginta
et
Olei Menthae piperitae guttis duodecim
probe mixtis agitatione intus obductum. Tunc vas benc agitetur ut rotulac perfecte humectentur.

Saccharum Aluminis.

R. Aluminis pulverati,
Sacchari albissimi pulverati partes aequales.
Misce.

Sapo aromaticus pro Balneis.

R. Saponis Hispanici albi pulverati uncias quatuor,
Amyli uncias duas,
Radicis Iridis Florentinae pulveratae unciam unam,
Balsami Peruviani s. Indici guttas septem,
Olei Bergamottae,

Olei Corticis Citri,
Lavandulae singulorum scrupulum unum.
Misceantur.

Sapo cosmeticus.

R. Saponis Hispanici albissimi pulverati uncias tres,
Radicis Iridis Florentinae pulveratae unciam unam,
Olei Lavandulae drachmam dimidiam,
Bergamottae scrupulum unum.
Aquae Rosarum quantitatem sufficientem.
Misce ut fiat globulus.

Sapo guajacinus.

R. Liquoris Kali caustici quantum vis,
Aquae destillatae duplum.
In vase idoneo calefactis per vices adde
Resinam Guajaci nativam pulveratam,
donec ultima portiuncula non soluta remaneat. Tum liquor colatus leni calore ad massae pilularum consistentiam evaporet.

Sit coloris viridi-fusci, saporis et odoris resinae Guajaci nec non nimis alcalini, solutione in aqua viridi-fusca limpida.

Sapo stibiatus.

(*Sapo antimonialis.*)

R. Sulphuris stibiati aurantiaci unciam unam.
Solve digerendo in

Liquoris Kali caustici quantitate sufficiente.

Liquori

Aquae destillatae duplo

diluto et filtrato adde

Saponis medicati pulverati uncias sex.

Mixta evaporent leni igne ad massae pilularis consistentiam, addendo, si massa adhuc rubet,

Liquoris Kali caustici quantum satis

ut colorem ex albido cinereum induat. In vasa minuta statim ingere.

Sit in aqua perfecte solubilis, addito quodam acido rubescat, gas hydrosulphuratum copiose emittens, saporis non nimis alcalini.

Sapo terebinthinatus.

(*Balsamum Vitae externum.*)

R. Saponis Hispanici albi pulverati,
Olei Terebinthinae singulorum libram unam,
Kali carbonici e cin. clav. uncias duas.

Misceantur exacte ut fiat massa unguento similis flavescens.

Serum Lactis dulce.

R. Lactis vaccini recentis libras duas.

Adde

Stomachi vitulini exsiccati et per horas sex Aquae communis frigidae unciis tribus immersi drachmam unam,

una cum aqua macerationi adhibita. Tum expone leni calori et digere, donec coagulatio facta sit. Tandem liquorem decantha et cola.

Serum Lactis dulcificatum.

R. Lactis vaccini libras tres.

Coque et sub initio ebullitionis adde

Tartari depurati drachmam unam.

Coagulatione peracta liquorem semirefrigeratum cola, et cum

Albuminis Ovorum in spumam redacti quantitate sufficiente

ad albuminis coagulationem usque coque. Colato adde

Concharum praeparatarum quantum ad neutralisationem acidi requiritur

et filtra. Si

Serum Lactis acidum

requiritur, absque additione concharum praeparatarum filtretur. Simili modo paretur

Serum Lactis aluminatum,

loco tartari depurati Aluminis crudi pulverati drachmam unam adhibendo, nec non

Serum Lactis tamarindinatum,

loco tartari depurati Pulpae Tamarindorum unciam unam adhibendo.

Sinapismus.

R. Seminis Sinapis nigri pulverati unciam unam,
Farinae Secalis unciam dimidiam,
Aceti quantum satis

ut fiat emplastrum mollioris consistentiae.

Solutio arsenicalis.

(*Solutio Fowleri.*)

R. Arsenici albi,
Kali carbonici e Tartaro singulorum grana sexaginta quatuor,
Aquae destillatae uncias octo.

Coque in vase vitreo ad perfectam arsenici solutionem. Solutioni refrigeratae, et, si opus fuerit, filtratae adde

Spiritus Angelicae compositi unciam dimidiam,
Aquae destillatae quantum requiritur

ut pondus totius liquoris sit unciarum duodecim.

Caute secundum legem dispensa.

Nota. *Drachma una et dimidia continent arsenici granum unum.*

Species ad Enema.

R. Herbae Althaeae libras duas,
Florum Chamomillae vulgaris libram unam,
Seminis Lini libram dimidiam.

Concisa et contusa misce.

Spiritus camphorato-crocatus.

R. Spiritus camphorati partes duodecim,
Tincturae Croci partem unam.

Misceantur.

Spiritus Mindereri.

R. Liquoris Ammonii acetici,
Aquae destillatae partes aequales.

Misce.

Spiritus Rosarum.

R. Olei Rosarum scrupulum unum,
Spiritus Vini Gallici fortioris uncias sex.

Mixta filtrentur.

Stibium oxydulatum fuscum.

(*Crocus Metallorum. Oxydum stibicum cum Sulphureto Stibii.*)

R. Stibii sulphurati nigri crudi,
Kali nitrici depurati pulverati singulorum par pondus.

Pulverata et mixta in olla ferrea munda pruna admota accendantur. Post detonationem massa refrigerata terendo in pulverem subtilissimum redigatur, Aqua communi fervida sedulo edulcoretur et siccetur.

Sit pulvis viridescenti-fuscus.

Strychninum nitricum.

R. Nucum Vomicarum libras octo.

In vesicam destillatoriam immissis adde

Spiritus Frumenti libras sedecim,

et applicato alembico decoque donec dimidia pars fluidi destillata fuerit. Tum nuces vomicae a fluido colando separatae siccentur et in pulverem grossiusculum redigantur. Hunc bis terve digere cum

Spiritus Frumenti sufficiente quantitate,

post digestionem semper exprimendo. Dein tincturae destillationi subjiciantur, et quod remanet cum fluido a decocto residuo ad remanentiam librarum duodecim evaporet. Huic adde

Plumbum aceticum depuratum, in quantitate sufficiente Aquae destillatae solutum,

quamdiu praecipitatum inde efficitur. Liquor a praecipitato ope filtri, quantum fieri potest, separatus leni igne ad dimidium evaporet. Refrigeratum misce cum

Magnesiae ustae unciis duabus,

et sepone per triduum, quo facto sedimentum ope filtri separatum edulcoretur et siccetur. Hoc in pulverem tritum bis terve cum

Spiritus Vini alcoholisati sextuplo

digere. Tincturae destillationi subjiciantur donec non nisi aliquot unciae supersint. Strychninum, post refrigerationem in retorta instar pulveris albi conspicuum, filtratione separatum, bis terve Spiritu Vini rectificato cum Aquae communis quantitate aequali diluto ad separationem lixivii adhaerentis usque lava, et cum

Acidi nitrici dilutioris quantitate sufficiente

neutralisa. Liquorem filtra et blandissimo calore in crystallos redige caute dispensandas.

Sint aciformes, coloris expertes, nitoris sericei, saporis peramari, in aqua fervida facile, in alcohole difficile solubiles, in acido nitrico calefactae flavescentes nec rubentes.

Syrupus Capitum Papaveris seu Diacodion.

(*Syrupus Papaveris albi.*)

R. Capitum Papaveris,

Siliquarum dulcium a seminibus liberatarum singulorum concisorum uncias tres,

Radicis Glycyrrhizae glabrae concisae uncias duas.

Coquantur cum

Aquae communis libris decem

ad remanentiam librarum duarum cum dimidia. Colaturae adde

Sacchari albissimi libras duas.

Fiat syrupus e flavescenti fuscus.

Syrupus Ipecacuanhae.

R. Radicis Ipecacuanhae contusae scrupulos octo.

Infunde

Aquae communis fervidae quantitatem sufficientem ad colaturam unciarum novem. Colato adde

Sacchari albissimi uncias sedecim.

Tum fiat ebullitione unica syrupus fuscescens.

Syrupus Spinae cervinae.

(*Syrupus domesticus.*)

Paretur uti syrupus Berberidum e succo baccarum nondum perfecte maturarum indeque viridi.

Sit coloris viridi-fuscescentis.

Tartarus ferruginosus seu martiatus.

(*Tartarus chalybeatus. Tartras kalico-ferricus.*)

R. Liquoris Ferri muriatici oxydati unciam unam et dimidiam.

Huic

Aquae destillatae quantitate sufficiente

diluto adde

Liquoris Kali caustici quantum ad praecipitandum oxydum ferri requiritur.

Praecipitatum sedulo edulcoratum cum

Tartari depurati uncia una

misce, et, affusis

Aquae destillatae unciis octo,

ad dimidiam partem coque. Tum leni igne ad extracti tenuioris spissitudinem evaporent. Massae refrigeratae affunde

Aquae destillatae uncias tres.

Liquor filtratus leni calore ad siccum evaporet et in vasis bene obturatis servetur.

Sal massam referat virescentem in aqua facile solubilem.

Tinctura Aconiti aetherea.

Paretur uti tinctura Digitalis aetherea.

Sit limpida, coloris e viridi fuscescentis.

Tinctura Ambrae.

R. Ambrae griseae tritae drachmam unam,
Spiritus Vini alcoholisati uncias sex.

Digerantur per octiduum, tum filtrentur.

Sit limpida coloris fuscescentis.

Eodem modo paretur:

Tinctura Moschi, quae sit ejusdem coloris.

Tinctura Ambrae cum Moscho.

R. Tincturae Ambrae partes tres,
Moschi partem unam.

Misceantur.

Tinctura aromatica acida.

(Loco Elixiris Vitrioli Mynsichti.)

R. Tincturae aromaticae libram unam.

Instillando admisce

Acidi sulphurici rectificati venalis unciam dimidiam.

Tinctura carminativa.

R. Radicis Zedoariae uncias quatuor,
Calami,
Galangae singularum uncias duas,
Florum Chamomillae Romanae,
Seminis Anisi,
Carvi singulorum unciam unam,
Caryophyllorum,
Baccarum Lauri singulorum drachmas sex,
Macidis unciam dimidiam,
Corticum Aurantii Pomorum drachmas duas,

Concisa et contusa digere cum

Spiritus Vini rectificatissimi,
Aquae Menthae piperitae singulorum unciis viginti quatuor

per aliquot dies, tum exprime et filtra.

In dispensatione partibus septem adde

Spiritus nitrico-aetherei partem unam.

Sit limpida coloris fusci.

Tinctura Castorei Canadensis.

Paretur uti tinctura Castorei sed e Castoreo Canadensi.
Sit limpida, coloris fusci intensioris.

Tinctura Castorei Canadensis aetherea.

Paretur uti tinctura Castorei aetherea sed e Castoreo Canadensi.
Sit limpida, coloris fusci.

Tinctura Colchici.

Paretur uti tinctura Cascarillae e semine Colchici et spiritu vini rectificato.
Sit limpida, coloris fuscescentis.

Eodem modo parentur:

Tinctura Aurantii Pomorum immaturorum, quae sit limpida, coloris fusci, et

Stramonii Seminis, coloris e fuscescenti flavi.

Tinctura Ferri muriatici oxydulati.

R. Ferri muriatici oxydulati unciam unam.

Solve in

Spiritus Vini rectificati unciis septem.

Filtra.

Sit limpida, coloris virescenti-flavi.

Tinctura Ferri tartarici.

(*Tinctura Martis tartarisata Ludovici.*)

R. Ferri sulphurici crystallisati,
Tartari depurati singulorum uncias sex.

Coquantur cum

Aquae communis libris sex,

continue agitando, donec miscella consistentiam mellis adepta fuerit. Residuo affunde

Spiritus Vini Gallici libras sex,

et post solubilis solutionem filtra.

Sit limpida, coloris fusco-flavi.

Tinctura Jodi.

R. Jodi grana quadraginta octo,
Spiritus Vini alcoholisati unciam unam.

Digerendo solve, et liquorem sollicite decanthatum intense rubro-fuscum caute dispensa.

Tinctura Laccae.

R. Laccae in Granis grossiuscule pulverati unciam unam,
Aluminis unciam dimidiam.

Coque cum

Aquae destillatae unciis octo,

ad colaturam unciarum sex. Liquori semirefrigerato admisce

Aquae Salviae,
Rosarum singularum uncias duas,
et tum miscella filtretur.
Sit limpida, coloris rubri amoeni.

Tinctura Pini composita.

(Loco Tincturae Lignorum.)

R. Turionum Pini concisorum uncias tres,
Ligni Guajaci raspati uncias duas,
Sassafras concisi,
Baccarum Juniperi contusarum singulorum unciam unam,
Spiritus Vini rectificati libras tres.
Tinctura digerendo extracta exprimatur et filtretur.
Sit limpida, coloris fusci.

Tinctura Ratanhae saccharata.

R. Radicis Ratanhae concisae uncias quatuor,
Sacchari tosti uncias duas,
Aquae destillatae uncias quatuor,
Spiritus Vini Gallici fortioris uncias sedecim.
Digere per aliquot dies, exprime et filtra.
Sit limpida, coloris intense rubri.

Tinctura Rosarum acidula.

R. Florum Rosarum rubrarum unciam unam et dimidiam,

Acidi sulphurici diluti unciam dimidiam,
Aquae communis fervidae uncias duodecim.
Macera per horas duodecim, tum cola et filtra.
Sit limpida, coloris rubri amoeni.

Tinctura Sennae.

R. Foliorum Sennae concisorum uncias tres,
Seminis Carvi contusi drachmas tres,
Cardamomi minoris contusi drachmam unam,
Passularum majorum demtis seminibus uncias quatuor.

Macera cum
Spiritus Vini Gallici fortioris libris tribus
in vasis clausis per quatuordecim dies, et filtra.
Sit limpida, coloris fuscescentis.

Trochisci bechici.

R. Gummi Mimosae pulverati uncias duas,
Radicis Iridis Florentinae,
Glycyrrhizae echinatae,
Seminis Foeniculi,
Anisi vulgaris singulorum pulveratorum uncias quatuor,
Succi Glycyrrhizae depurati pulverati libram unam,
Sacchari albi pulverati libras novem,

Gummi Tragacanthae cum Aquae communis sufficiente quantitate in mucilaginem redacti quantum requiritur

ut fiat lege artis massa, ex qua formentur trochisci.

Trochisci Ipecacuanhae.

R. Radicis Ipecacuanhae concisae drachmas duas.

Infunde

Aquae communis fervidae quantitatem sufficientem,

et stent per aliquot horas loco calido. Colaturae expressae adde

Gummi Tragacanthae pulverati quantum satis

ut fiat cum

Sacchari albissimi pulverati unciis sedecim

massa, ex qua formentur lege artis trochisci.

Unguentum Aeruginis.

(*Unguentum Aegyptiacum.*)

R. Cupri acetici pulverati unciam unam,

Tartari depurati uncias tres.

Coque cum

Aquae communis sufficiente quantitate,

donec satis soluta fuerint. Tum cola, et liquor leni igne ad siccitatem evaporet. Residuum aëri humido expositum sponte liquescat, et liquori soluto admisce

Mellis communis uncias duodecim.

Sit consistentiae mellaginis, coloris fusci, turbidum.

Unguentum Cerussae camphoratum.

(*Unguentum album camphoratum.*)

R. Unguenti Cerussae libram unam,
Camphorae subtilissime tritae unciam dimidiam.

Misce ut fiat unguentum albissimum.

Unguentum Hydrargyri album.

(*Unguentum mercuriale album Werlhofii.*)

R. Hydrargyri ammoniato-muriatici unciam unam,
Adipis suilli loti uncias novem.

Exacte misceantur in mortario vitreo aut lapideo, ut fiat unguentum albissimum particulis hydrargyri ammoniato-muriatici non distinguendis.

Unguentum Hydrargyri rubrum.

(*Balsamum ophthalmicum rubrum.*)

R. Hydrargyri oxydati rubri praeparati grana decem,
Unguenti simplicis unciam unam.

Exactissime misceantur.
Sit coloris flavo-rubri.

Unguentum Kali hydroiodici.

R. Kali hydroiodici drachmam unam,
Magnesiae carbonicae grana sex.

Tere additis aliquot guttis Aquae destillatae cum
Unguenti rosati uncia una,
ut fiat unguentum album tempore flavescens.

Unguentum Linariae.

R. Herbae Linariae recentis contusae libram unam,
Adipis suilli libras duas.

Coque leni igne ad aquosi exhalationem, tum exprime. Sit coloris viridescentis.

Eodem modo paretur:

Unguentum Majoranae, (*Butyrum Majoranae*), coloris viridis.

Unguentum Tartari stibiati.

R. Tartari stibiati subtilissime triti unciam dimidiam,
Adipis suilli loti uncias duas.

Misce exactissime, ut fiat unguentum albissimum.

Unguentum Terebinthinae.

(*Unguentum digestivum.*)

R. Terebinthinae laricinae uncias duodecim,
Mellis communis purissimi uncias quatuor,
Olei Olivarum recentis uncias tres,
Aloës lucidae pulveratae unciam unam.

Misceantur exacte, ut fiat unguentum fuscescens ante dispensationem denuo miscendum.

Unguentum Zinci.

(*Unguentum de Nihilo.*)

R. Zinci oxydati drachmam unam,
Unguenti simplicis drachmas novem.

Intime misceantur, ut fiat unguentum albissimum.

Vinum Colchici.

R. Radicis Colchici recentis uncias duas.
Concisis adde
Vini Hispanici uncias quatuor.
Digere per dies decem, tum exprime et filtra.
Sit limpidum, coloris fusci.

Vinum ferruginosum seu martiatum.

R. Ferri in filis fracti uncias duas,
Cassiae Cinnamomeae unciam unam,
Vini Rhenani libras duas.

Digere per aliquot dies, vas subinde agitando, tum filtra.

REAGENTIA.

Reagentia, quorum praeparationem supra exposuimus, nomine tantum indicata sunt. Opus vero est, ut purissima, ab heterogeneis immixtis plane libera adhibeantur.

Acetum concentratum.
destillatum.
Acidum aceticum.
muriaticum.
nitricum.
sulphuricum rectificatum.
dilutum.
Aether sulphuricus denuo rectificatus.
Aqua Calcariae.
hydrosulphurata.
Charta exploratoria coerulea.

Lacmus (laccae muscus) qualis prostat, in pulverem tritus quatuor aquae partibus infundatur et per viginti quatuor horas reponatur, vas subinde agitando. Liquore filtrato illinantur segmenta chartae albissimae expansa, quae siccata in vasis bene clausis loco umbroso serventur.

Charta exploratoria rubefacta.

Charta exploratoria coerulea aceto destillato aut acido muriatico valde diluto rubro inficiatur colore, tum siccetur et servetur.

Ferrum sulphuratum.

Limatura ferri cum sulphuris depurati aequali quantitate, stratum super stratum, crucibulo immittatur, crucibulum inter carbones ardentes reponatur, donec sulphur deflagraverit et massa liquefacta fuerit, quam in frustula comminutam in vase bene clauso serva.

Gas hydrosulphuratum.

Gas hocce e calcaria sulphurata aut ferro sulphurato addito acido sulphurico diluto in lagena idonea extricetur et per tubulum vitreum in liquorem perducatur, quem explorare vis.

Liquor Ammonii carbonici.
caustici.

Paretur uti Liquor Ammonii caustici p. 191 ea tamen differentia, ut gas in lagena extricatum per tubulum vitreum in aliud vas aqua repletum et ex hoc in tertium aquam destillatam continens perducatur, donec aqua gase saturata sit. Tum in vase clauso servetur.

Liquor Ammonii sulphurati.

Gas hydrosulphuratum modo supra dicto extricatum in liquorem ammonii caustici perducatur, quamdiu ab hoc absorbetur. Tum in vase bene clauso liquor servetur.

Liquor Argenti nitrici.

Nota. *Omnes liquores, quorum praeparatio non addita est, solutione salis indicati in aquae destillatae sufficiente quantitate perficiuntur.*

Liquor Argenti sulphurici.

Argentum nitricum in sufficiente aquae destillatae copia solvatur, liquor filtratus ope acidi sulphurici praecipitetur, ac praecipitatum filtro separatum et ablutum, in aquae destillatae quantitate sufficiente solvatur. Liquor in vase bene clauso a luce remotus servetur.

Liquor Auri muriatici.

Aurum nummorum, quos ducatos vocant, solvatur in acido nitrico et ammonio muriatico depurato pari pondere mixtis, quantum solvi potest. Solutio leni calore ad siccum evaporet, sal in aqua destillata solvatur et in vitris bene clausis loco umbroso servetur.

Liquor Barytae muriaticae.
nitricae.

Liquor barytae muriaticae in aquae destillatae quantitate sufficiente diluatur et ope liquoris ammonii carbonici praecipitetur. Praecipitatum filtratione separatum, aqua destillata ablutum in acidi nitrici dilutioris quantitate sufficiente solvatur, liquor in crystallos redigatur, quae aquae destillatae quantitate sufficiente solutae in vase bene clauso serventur.

Liquor Cupri sulphurici.
ammoniati.
Ferri muriatici oxydati.
oxydulati.
sulphurici.
Kali ferruginoso-hydrocyanici.
oxalici.

Oxalium in aqua destillata solutum addito kali carbonico purissimo neutraliseiur, et liquor in crystallos redigatur, quae in aquae destillatae quantitate sufficiente solutae serventur.

Liquor Kali carbonici e Tartaro.
caustici.

Paretur uti liquor kali caustici p. 190, at calcaria usta e Marmore Carrariensi, quod vocant, parata sit et kali e Tartaro sumatur.

Liquor Magnesiae sulphuricae.
Natri carbonici.
muriatici.
Plumbi acetici.
Tartari stibiati.
Spiritus Vini alcoholisatus.
Tinctura Gallarum.

Gallae in pulverem grossiusculum redactae sex partibus spiritus vini rectificati infundantur, et per aliquot dies reponantur vas subinde agitando. Liquor filtratus in vase bene clauso servetur.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Cum theoria de Ammonio metallico utpote basi Ammoniaci, seu Ammonii Pharmacopoeae Borussicae nondum satis evicta sit, melius visum est nomina systematica p. 11. 135. 178 mutare et horum loco ponere: p. 11. *Hydrochloras ammonicus depuratus crudus*, p. 135. *Hydrochloras ammonicus depuratus* nec non *Hydrochloras ammonicus cum Sesquichloreto Ferri*, p. 178. *Hydrochloras ammonicus cum Oxydo hydrargyrico.*

P. 34. l. 4. ab ult. lege: e plumbo *acetico* basico.

P. 46. l. 2. Vulgatum nomen est *Vitriolum e Cypro* seu *de Cypro*, nec Vitriolum Cupri. Nomini systematico adde: *cum aqua.*

P. 49. l. 3. lege: *Plantae annuae in hortis cultae, ex India oriundae.*

P. 63. l. 2. ab ult. lege: e *kalio*, ferro et cyano constantes.

P. 64. l. 5. lege: e gase *chlori.*

P. 71. et P. 198. Magnesia carbonica, uti nunc scimus, est *Carbonas magnesicus cum Hydrate magnesico.*

P. 78. l. 3. ab ult. Plumbum oxydulatum dictum est, respiciendo ad priorem editionem. Nunc *oxydatum* diceremus.

P. 84. l. 4. ab ult. add. *Oleum Provinciale*, quo nomine in formulis oleum hocce indicatur.

P. 89. l. 3. ab ult. lege: ex *ipsis* sponte stillantis.

P. 129. l. 1. lege: = 1,125 — 1,135.

P. 147. l. 2. ab ult. lege: Gypsi *subtilissime pulverati.*

P. 171. Ferrum oxydatum fuscum non est Oxydum ferroso-ferricum sed potius *Hydras ferricus.*

P. 181. In Mercurio solubili Hahnemanni quaerunt Medici Oxydum hydrargyrosum et praeparationem mutari nolunt. Est vero *Nitras ammonicus cum Oxydo hydrargyroso.*

P. 193. Ferrum muriaticum oxydatum est *Sesquichloretum Ferri.* Cum vero inter rationem 1 : 1 et 1 : 2 plures intermediae sint, licet nomen subbichloretum retinere utpote generale.

P. 197. Liquor pyro-tartaricus cum rectificatus non sit est potius *e rufo-fuscus* quam flavescens.

P. 215. In praeparatione Pulpae Prunorum et Tamarindorum lebetes stanno obductos admisimus. Nunc melius visum est, eosdem vetare et *lebetes stanneos* eorum loco ponere.

P. 232. l. 6. ab. ult. lege: *cola, et.*

P. 260. l. 7. add. *singulorum.*

P. 261. l. 10. adde depurati.

P. 272. l. 3. Dosis potius ad Extractum pertinet.

Errores quosdam typographi, qui sensum non mutant, e. g. p. 153. *Electuariam,* p. 156. l. 8. ab ult. Tinctura Benzoës loco Tincturae et l. 11. ab ult. punctum post residuis positum, p. 160. l. 6. adipiscant, et si alii sint, lector benevolus ipse corriget.

INDEX.

A.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

L.

M.

N.

P.

Q.

R.

S.

T.

U.

Bbb

V.

Z.

INDEX NOMINUM GERMANICORUM.

Ccc